




Autore R. P.) cioè Terzolate [illegible]



# VINDICIÆ KEMPENSES

ADVERSUS

R. P. FRANCISCUM DELFAU


MONACHUM AC PRESBYTERUM

CONGREGATIONIS S. MAURI.

*Auctore R. P. ..... Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ.*









PARISIIS,
Apud SEBASTIANUM MABRE-CRAMOISY, Regis Typographum, viâ Jacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. LXXVII.

*CUM PRIVILEGIO REGIS.*





# LECTORI BENEVOLO

## *PRÆFATIO.*

LITIS hujus & controverſiæ de autore librorum de Imitatione Chriſti, quæ RR. PP. Benedictinis cum Canonicis Regularibus, jam ab annis quinquaginta & amphùs intercedit, hoc initium, hic progreſſus, finis denique & exitus is hactenus fuit. Anni ſunt circiter ſexaginta-quinque ſupra ducentos, ex quo primùm in Germaniâ inferiore, aureum illud de Imitatione Chriſti opus, caſtæ piarum deliciæ mentium, in lucem prodiit autore Thoma de Kempis Canonico Regulari. Ab eo tempore, mirum profectò, quàm incredibili celeritate, per reliquas omnes Europæ regiones & oras libellus ille pervaſerit. Legerunt eum omnes: quotquot autem legerunt, rapuerunt, quia rapiebantur cùm legebant. Quippe, ut verbis autoris ipſius dicam, liber iſte, ſermoni divino ſimillimus, *parvus eſt dictu, ſed plenus ſenſu, & uber in fructu.*

*Fabulæ Gerſenianæ ortus, progreſſus, & finis; ſimulque operis occaſio, neceſſitas, & ordo.*

*Lib. 3. cap. 23.*

Sed quod in rem præſentem præcipuè venit, nemo unquam, in tantâ litterarum luce, in hac ſcribendi & liberè de rebus ſive

obſcuris ſive dubiis pronunciandi libertate; quæ poſtremis duobus hiſce ſæculis tam latè obtinuit; nemo, inquam, repertus eſt unquam, cui venire in mentem potuerit, libellum hunc, alterius, quàm Thomæ Kempenſis Canonici Regularis fœtum eſſe verum ac germanum.

Nam quòd Ludolpho Carthuſiano ſemel forſitan & iterum; quòd D. Bernardo ſæpè; quòd Joanni Gerſoni inclito Pariſienſis Academiæ Cancellario ſæpiùs adſcriptus; quòd denique nullo Autoris nomine inſignitus ſæpiſſimè prodierit: Typographorum iſtud, nihil, vel in ipſis ſanctiſſimorum Patrum opuſculis, non in dies ſimile committentium, dolus aut error extitit. Adeoque rem ita ſe habere viris omnibus eruditis perſuaſum erat, ut nullus unquam de eâ ſecus, aut ſentiendum, aut loquendum eſſe ſibi toto illo ducentorum annorum decurſu exiſtimaverit; nulluſque non arbitratus fuerit, parum referre, ſi libellum hunc, aut Gerſonis, aut Bernardi, aut nullius autoris nomine commendatum vulgus exciperet; modò præceptis uteretur quæ paſſim in eo, non aurea tantùm ſed planè divina continentur. Dum tamen interim ejus autori vero Thomæ de Kempis, laus & fructus induſtriæ pietatíſque apud eos omnes conſtaret, quorum muneris eſt, ſcriptorum cenſum & nomenclaturam exploratis diligenter ſingulorum rationibus inſtituere.

*Petavius, Leo Allatius, Lucas Holſte-*

Verùm Caëtanus Monachus Benedictinus Italus, homo ( ut doctiſſimi quique ætatis

nostræ Scriptores in eo reprehenderunt) adeo flagrantis, ardentisque, pro Ordinis sui gloriâ, zeli & studii, ut omnia ad ipsum per fas atque nefas, trahere nihil interdum vereretur: rem sodalibus suis, majorem in modum gratam, totique Ordini suo perhonorificam facturum se arbitratus est, si opus de Imitatione Christi, Benedictino alicui tandem assereret. Propterea fabulam illam suam patrum nostrorum & nostrâ etiam memoriâ adeo celebrem, de Joanne Gersene de Canabaco Sancti Stephani Vercellensis anno 1220. Abbate, & autore, uti confingebat, librorum de Imitatione Christi, magno conatu adornare molitus est: sed exitu prorsus infelici. Nam statim Heribertus Rosveidus, doctissimæ Societatis Scriptor diligentissimus, choragium ejus omne, singulari Vindiciarum Kempensium libello, ita bellè disturbavit, ut risus & admurmuratio spectatorum non mediocris exinde sæpè fuerint consecuta.

*nius, Naudeus, Chiffletius, Suaresius Vasionensis Antistes, &c.*

*Vide Naudeum in conjectionibus causæ Kempensis.*

Et quia Quatremarius & Walgravius, Monachi etiam Benedictini, novas quasdam machinationes excogitaverant, quibus probabiliorem jucundioremque Caëtani fabulam redderent; multi tum ex nostris, Fronto scilicet & Verlinus: tum è Societate Jesu eruditi viri, Heserus, Bollandus, Theophilus Rainaudus: tum denique ex aliis Scriptoribus incliti viri, Naudeus, Carreus, Chiffletius Abbas Balernensis, & quidquid uspiam fuit eruditorum virorum illicò refutationes eden-

tes, fumum eorum omnem ac figmentum exsufflarunt ac dissiparunt.

Cumque paulò vehementiùs controversia Quatremarium inter & Naudeum exarsisset, jamque eò pervenisset, ut Naudeus Codices 4. M. SS. pro Gersene à Benedictinis Italis oblatos, depravatos & corruptos esse demonstraret, ut perspicuum erat ex additionibus & lituris, unde appareret nomine Thomæ aut Gersonis deleto, novam vocem inductam aut immutatam, ac nomen Gersen inculcatum ac intrusum fuisse; Benedictini verò contrà fraudis & corruptelæ expertes esse Codices hos affirmarent. Re ad Senatum Parisiensem delatâ Pseudogersen Monachus Benedictinus limine pulsus, in medium deinceps *Anno 1652.* prodire solenni edicto prohibitus est. Sancitum quippe est à sapientissimis Senatoribus, ne libri quatuor de Imitatione Christi, alio quàm Thomæ Kempensis, genuini parentis, nomine insigniti imposterum excuderentur.

Atque hoc quidem decreto quotquot erant boni & eruditi, litem innocentissimo Thomæ Kempensi, tam malis artibus intentatam, neque melioribus machinationibus propugnatam, optimo tandem exitu finitam ac compositam arbitrabantur; magnamque in spem veniebant, fore uti omni pugnâ posthac desisterent Scriptores Benedictini. Immò majores patresque suos imitarentur, RR. scilicet PP. Sancti Germani à Pratis Parisiensibus, qui olim unà cum RR. PP. Cælestinis ac

Carthuſianis, libros de Imitatione Chriſti, ſemel & iterum anno 1521. & 1523. nomine Thomæ Canonici Regularis Pariſiis edendos procurarunt.

*Extant etiamnum illæ duæ editiones.*

Sed ut ſunt hominum quorumdam ingenia ita comparata, ut quod ſemel ab illis, pro humanâ imbecillitate, erratum eſt, iſtud pertinaciter tueri velint. Nihil ſibi contrà Scriptores Benedictini, priùs ac magis faciendum arbitrati ſunt, quàm ut integritatem M. SS. illorum Codicum, præſtandam in ſe reciperent.

Multa tamen adverſabantur. Unde continendi adhuc erant in tenebris, dandumque illis erat otium: nam doctiſſimus Launoïus, qui ab illis tunc ſtabat, & cui Codices illi tunc oſtenſi ſunt, nonnihil corruptelæ in illis deprehendebat. Præterea adhuc in vivis agebat Naudeus, cujus conſpectum Codices illi vehementer reformidabant. Denique corrogandi erant M. SS. Codices alii, in quorum turbâ & recenſione illi latere poſſent.

*Lanoïus p. 90. libri ſui de autore lib. de Imitatione Chriſti Gallicè edit. 1652.*

Statuunt itaque expectandum, & in totos viginti annos, eoque plus res dilata eſt. Intereà moritur Naudeus. M. SS. Codicum minium & rubrica quæ vel Launoïo tantoperè anno 1652. apparebant, diuturnitate temporis nonnihil diluuntur. Corrogantur denique ex Flandriâ, Alamanniâ, cæteriſque regionibus plures M. SS. Codices alii, ad Gerſenis quidem cauſam promovendam aut Kempenſis labefactandam, non admodum reipsâ utiles: ſed in quorum tamen turbâ & multitudine, ut

antè dixi, vitiati Codices confundi ac tegi possent.

Itaque re jam satis, ut opinabantur, maturâ, litis ac controversiæ de autore librorum de Imitatione Christi instaurandæ occasiones modis omnibus inquirunt. Veteres illas suas & graves adversùm Naudeum, jam à triginta circiter annis demortuum, iterant criminationes. Queruntur Codices quatuor M. SS. pro Gersene, à Benedictinis Italis exhibitos, tanquam depravatos & corruptos, falsò ab eo olim accusatos: habere se illos magnumque Codicum aliorum M. SS. numerum, paratosque se esse, cuivis examinandos illos exhibere. Quid plura? tandem eò rem perducunt, ut ab Illustrissimo Senatûs Præside impetraverint, uti vellet in Sangermano eorum Monasterio infulas suas, ad eum usque pulverem demittere. Adfuere unà è nostris duo, Reverendus scilicet Pater Lalemant Sanctæ Genovefæ tum Prior & Cancellarius, & R. P. du Molinet: qui M. SS. istos Codices ventilantes, Italos à Naudeo olim meritò falsi accusatos, & recens adductos, aut ad labefactandam causam Thomæ Kempensis, aut ad Gersenis promovendam, prorsus inutiles esse facilè demonstrarunt. Unde Illustrissimus Senatûs Princeps, pro singulari illâ quâ præstat luce ingenii, cui nec error ullus errat, nihil de priori illâ sententiâ quâ libri de Imitatione Christi Thomæ olim asserti fuerant, prorsus immutandum vidit & censuit.

*Ita R. P. Lalemant in Relatione suâ.*

Paulùm exinde adversariorum conatus om-

nis & impetus tardatus eſt, ac non parum concidit animus. Interjecto tamen temporis ſpatio, ac redintegrato animo, ad Illuſtriſſimum Eccleſiæ Pariſienſis Archipræſulem adeunt, orant, obteſtanturque, velit novorum Codicum examini præſentiam ſuam exhibere; ſic litem omnem poſſe dirimi. Quod tantoperè efflagitabatur, annuit Illuſtriſſimus Præſul, eâ humanitate, quâ ſit inprimis, ut dum ingenio admirationi eſt omnibus, ſingulis etiam ſit cordi. Diem dicit, quâ die in Palatium ſuum conveniant. Ubi ea dies venit, ad præſtitutum tempus RR. PP. Benedictini adſunt ſeduli: Codices omnes ſuos numero ad duodecim, editiones ad 4. aut 5. Bernardi aut Gerſonis nomine inſcriptas comportant; denique clam nobis (quorum tamen adeſſe præſertim intererat) conveniunt etiam viri doctrinæ famâ incliti, quos litis hujus conteſtandæ arbitros ſoli delegerant.

Non eſt tamen quòd cum clariſſimis illis viris injuriam ullam expoſtulemus. Functi ſunt proborum hominum officium: duas enim res tum fecere. Alteram, quæ æqui juſtique ſervantium fuit, quâ ſcilicet *nobis abſentibus cauſam dijudicari non poſſe cenſuerunt*. Alteram, quæ humanitatis colentium & Reverendis Patribus, ſine cujuſquam injuriâ, honeſtè, urbanéque gratificantium fuit; quâ nempe teſtati ſunt *exhibitos ſibi plures M. SS. Codices librorum de Imitatione Chriſti. Lecta etiam ſibi Roſſignolii, Majoli, Poſſevini ac*

*Bellarmini teſtimonia, de Codice Aronenſi. Præterea oſtenſas eſſe ſibi varias ejuſdem opuſculi editiones primarias, ſub nomine Sancti Bernardi, unam abſque temporis notâ, aliam ſub nomine Joannis Gerſon: unam etiam ſub nomine Thomæ à Kempis factam anno 1494. in quorum fidem, inquiunt, communi conſenſu hoc inſtrumentum ſubſignavimus.*

Libenter & nos M.SS. Codices hos omnes exhibitos, editiones has omnes oſtenſas, tabulas has teſtimoniales adductas, lecta denique hæc omnia Andreæ Majoli, Bernardini Roſſignolii, Poſſevini & Bellarmini teſtimonia aſſentimur. Sed nunquid hinc efficitur iſtorum omnium quidquam aut officere Thomæ, aut Gerſeni adminiculari? nihil omnium minus. Idque ſi clariſſimis viris examinare aut vacaſſet, aut libuiſſet, facilè profectò ab eis pro ſingulari illâ rei antiquariæ peritiâ quâ præſtant, potuiſſet deprehendi. Sed publico inſervientibus & gravioribus rebus occupatis non licuit eſſe tam otioſis, aut tam imprudentibus, ut bonas horas tam malè vellent perdere. Controverſiam hanc itaque integram iis quorum intererat diſceptandam prorſus dimiſere.

Atque ut iſtud vel in uno Codice Padolironenſi omnium præcipuo breviter hîc tentemus & experiamur, Codicis hujus hiſtoriam, & variam, ut ita dicam, fortunam ſic habe.

Anno 1618. quo nempe tempore RR.

PP. Benedictini nullo tunc urgente adversario à quo sibi cavere deberent, candidiùs & securiùs loquebantur: scripsit Caetanus ipse in hoc Mantuano sive Padolironensi Codice hoc Epitaphium manu primariâ in fine tunc contineri.

*Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem,*
*Præcelsum meritis*, Gersen *cognomine dictum.*
*Parisius celsæ Professor Theologiæ*
*Claruit Ecclesiæ, qui* Consolarius *anno*
*Milleno Domini centum quater atque viceno*
*Nono, luce petit superos Iulii duodenâ*

Quid ex hoc vitiato & corrupto Epitaphio Joannis Gersonis Ecclesiæ Parisiensis Cancellarii, qui obiit anno 1429. die duodecimâ Julii, in quo Epitaphio nomen *Gerson* in *Gersen*, & vox hæc *Cancellarius* in istam *Consolarius*, crassè immutata sunt: quid, inquam, factum quoque sequatur in hujus Codicis inscriptione & subscriptione, in quibus hæc vox *Gersen* etiam legitur, aliis dijudicandum relinquo. Historiam enim duntaxat scribimus.

Anno circiter 1630. jam urgente adversario, cùm tandem animadverteret idem Caëtanus simpliciùs & imprudentiùs à se factum esse, qui Epitaphium istud in fine Codicis hujus extare indicasset, videretque eodem prorsus *Gersenem Consolarium* jugulatum gladio quo Gersoni Cancellario vis illata fuerat; Epitaphium istud planè rescindi, & ab hoc Codice prorsus evelli debere optimè intellexit: unde

diligenter cavit, ut non plus in eo deinceps extaret, quàm unqum extitit *Gerſen** ille *Conſolarius*, cui priùs inſcribebatur.

Anno 1641. cùm RR. PP. Benedictini reſciviſſent typis Lutetiæ & ſumptibus Regiis in Auguſtâ Luparâ, excudi librum de Imitatione Chriſti in folio extenſo, litteris majoribus ac verè Regiis. Eminentiſſimum Cardinalem Richelium convenerunt, rogaruntque, ne in tam eximio opere cudendo permitteret huic errori locum eſſe, quo Thomæ Kempenſi Canonico-Regulari vulgò tribuitur, cùm ſit potiùs Joannis Gerſen Abbatis Vercellenſis Ordinis Sancti Benedicti: quemadmodum appareret ex fide M. SS. Codicum qui Romæ aſſervabantur apud Abbatem Caetanum, cum titulo vero & genuino Joannis Gerſen, non autem Thomæ à Kempis. Annuit Eminentiſſimus Cardinalis, ſed eâ conditione, modò Benedictini Romani Codices illos exhiberent viro alicui conſpicuæ dignitatis & doctrinæ famâ commendato, qui fidem poſteà faceret libros ejuſmodi viſos à ſe, diligenter obſervatos fuiſſe, taleſque judicatos, ut illis fides certiſſima adhiberi poſſet.

Itaque Naudeum tunc Romæ degentem elegerunt R R. P P. Benedictini, Codiceſque ſuos examinandos ipſi exhibuerunt. Hos inter M. SS. Codices erat Padolironenſis, in quo quidem, ut antè diximus, Epitaphium Joannis Gerſonis non ampliùs extabat; multa tamen tam in Codicis hujus inſcriptione, quàm

in

in ſubſcriptione adhuc reperiebat Naudeus, quæ fraudis & mendacii ſuſpicionem ſtatim injicerent: unde factum, ut Regia illa librorum de Imit. Chr. editio Gerſeni non fuerit inſcripta. Sic enim de corruptelâ hujus Codicis refert Naudeus: *Aſſumpto*, inquit, *in manus Padolironenſi Codice, conſideravi primùm in ejus titulo verborum quamdam inverſionem, & præpoſterum ordinem; ſcilicet*, Incipit liber Joannis Gerſen primus. *Mox deprehendi lituras prioris cujuſdam atque vetuſtioris tituli, cujus veſtigia nonnulla veluti* Jho, *& alias litteras dimidiatas, recentior ſuperadditus titulus non benè tegere potuerat. Apparebant enim ſtatim attentiùs inſpicienti, neque dici poterat eas eſſe expreſſa ſigna aliarum litterarum, quæ in ejuſdem folii adversâ parte continebantur, quia poſteà D. Floravantes, & ipſimet PP. Benedictini, P. Placidus, & qui cum eo adfuit etiam P. Joannes, ambo Procuratores Ordinis S. Benedicti Congregationis Sancti Mauri, eas acumine ſtili perforantes diverſitatem animadverterunt: denique verba illa*, Liber Joannis Gerſen primus, *erant multò magis ſplendenti rubricâ exarata, quàm ſequentia hæc*, De contemptu mundi & Imitatione Chriſti, *ut vel ex illa ſolâ differentiâ rubricæ, ſeu minii fraus ipſa patere vel cæco potuiſſet. Unde certum eſt, titulum planè falſum eſſe, & alteri vetuſtiori, quamquam æquè falſo* Joannis Gerſon, *propter tres illas vetuſtiores litteras* Jho *inductum; non unâ quidem Gerſon in Gerſen, ſed to-*

*tius tituli inversione ac commutatione, ne vel Cancellarii vox relicta, vel quædam alia quæ minimè ad Joannem Gersen pertinere poterat fraudi detegendæ occasionem aperiret. Secus enim poterat commodissimè littera* o *nominis Gerson in litteram* e, *quæ Gersen efficit, commutari. Eodem prorsus modo quo sub finem ejusdem Codicis factum est in illis verbis :* Explicit liber quartus Joannis Gersen de Sacramento Eucharistiæ. *Mihi enim procul dubio est scriptum anteà fuisse* Joannis Gerson, *sed ne posterior Epigraphe priori fraudi esset, vim non minus quàm prior illa experta est. Et PP. Placido & Joanni tam liquidò de singulis falsitatibus constitit, ut publicè declararint, non è re suâ fore instrumentum ullum fieri, quo potiùs jugulari eorum causa posset; quin & coram Em. Card. à Balneo, Domino meo, P. Placidus juratus anteà se tot falsitatum & ineptiarum inscium fuisse, gratias habuit nobis omnibus pro navatâ solerter operâ, cùm suam frustrà deinceps à suis Patribus Benedictinis desideratum iri assereret.*

Ab hoc anno 1641. quo Romæ hæc acta sunt ad annum 1652. id est per decem circiter annos, cùm inter RR. PP. Benedictinos Sancti Germani & Naudeum vehementiùs controversia exarsisset, eoque pervenisset, ut ubique à RR. PP. Benedictinis summi flagitii in re litterariâ perpetrati accusaretur Naudeus. Ipse verò Naudeus nihil à se contra veritatem in accusando falsi Codice illo, aut dictum, aut factum esse contenderet. Quin

ſemel & iterum, ſive apud Prætorem Urbanum, ſive in ampliſſimo Senatu verbis expreſſis & ſcripto ſæpiùs ſponderet, ſe ſufficienti fidejuſſore interpoſito, lampadem aut donarium aliquod argenteum quinquaginta pondo Eccleſiæ Sancti Germani appenſurum, quoties manuſcriptus ille Codex bonâ fide ab illis repræſentatus, non eodem prorſus modo ſe habere, ab idoneis judicibus deprehenderetur, quo toties ab illo deſignatus erat. Cùm, inquam, ita arderet ultrò citróque controverſia, & ab amicis, à Canonicis Regularibus, à Senatu, ab omnibus efflagitaretur, producerent tandem RR. PP. Benedictini manuſcriptum Codicem illum; ſic litem omnem hoc uno facto dirimi poſſe; nunquam tamen tunc auſi ſunt toto illo decennio illum exhibere. Interim verò à Quatremario ingentes admodum libri adversùm Naudeum conſcribebantur, in quibus, quod lectu feſtivum eſt, uno in loco vitium in eo Codice Quatremarius agnoſcebat; alibi integrum eſſe contendebat; modò Romæ aſſervari aiebat in Bibliothecâ Caëtani; modò penes Naudeum detineri aſſerebat, cùm conjici poſſit ex his quæ mox profero, in Bibliothecâ Sangermanâ Pariſienſi Codicem illum tunc extitiſſe.

Anno 1652. doctiſſimus Launoïus, qui tunc temporis à RR. PP. Benedictinis ſtabat, Codicem hunc Mantuanum ſive Padolironenſem amicè ſibi oſtenſum fuiſſe ſcribit. Et in ejus inſcriptione multa etiam cum Naudeo,

quæ ipſam non ſanam eſſe, ſed vitiatam ac corruptam indicarent, notaſſe ſe candidè fatetur. Sic enim refert in libello ab eo tunc temporis Gallicè edito. *Sur ce ſujet, je diray ce que j'ay remarqué dans un manuſcrit d'un livre de l'Imitation qui eſt en l'Abbaye de Saint Germain, & qu'on me dit eſtre celuy de Mantoüë. Le titre eſt tel:* Incipit liber Joannis Gerſen primus; *& la fin eſt telle :* Explicit liber quartus Joannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ. *J'ay obſervé trois choſes dans ce titre. La premiére, que ces paroles*, Liber Joannis Gerſen primus, *étoient écrites d'un rouge un peu plus reluiſant que les autres ; la ſeconde, que la ligne du papier ſur laquelle ces paroles*, Incipit liber Joannis Gerſen, *ſont écrites, eſt un peu plus brunie, ce qui s'étend juſques au deſſus de la ligne ; la troiſiéme, que cettte tache & ſouillûre de papier va bien au deſſus du mot de* Gerſen.

Anno demum 1671. à clariſſimis viris de hoc Codice Padolironenſi ſive Mantuano hæc referuntur. *Decimus codex eſt Monaſterii Sancti Benedicti de Padolirone ſic inſcriptus :* Incicipit liber Joannis Gerſen primus ; *in qua inſcriptione ſana eſt omnino ſcriptura in nomine proprio, & nulla falſi legitima ſuſpicio apparet, neque in ſubſcriptione, quæ in fine codicis primariâ manu exarata eſt hoc modo :* Explicit liber quartus Joannis Gerſen de Sacramento Euchariſtiæ.

Hanc virorum clariſſimorum relationem ve-

rissimam esse nullus dubito. Sed ita tamen ut quæ à Launoïo, Naudeo, Floravente, immò & Caëtano, Placido, & Joanne Benedictinis de fraude & corruptela hujus Codicis tam in inscriptione suâ quàm in subscriptione, tam candidè & tam certò referuntur, pro falsis habere non possim.

Sed quæras, qui igitur tam diversa & sibi tam adversa de uno & eodem Codice ( si tamen idem est ) testimonia simul concilientur ? facillimè inquam; nam anno 1641. quo tempore Codex ille à Naudeo examinatus est, recens hic superadditus titulus, *Liber Joannis Gersen primus*; ita longè multò magis splendenti, quàm sequentia verba erat exaratus rubricâ, ut fraus ipsa tunc vel cæco patere potuisset, ut ait Naudeus. Interjecto deinde decem annorum spatio, quot intercedunt ab hoc anno 1641. usque ad anum 1652. quo tempore Codicem hunc examinavit Lanoïus, jam non ita splendebat rubrica in hoc titulo, *Liber Joannis Gersen primus*, ut fraus ipsa vel cæco patere potuisset : sed ita tamen etiam tunc splendebat, ut homini æquè oculato ac Lanoïus fraus ista adhuc appareret. Quidni itaque interjecto viginti & ampliùs annorum spatio, quot interjacent ab anno hoc 1652. ad annum 1673. quo tempore à viris clarissimis Codex ille examinatus est ; quidni, inquam, jam splendor minii & rubricæ in hoc superinducto titulo, *Liber Joannis Gersen primus*, diuturnitate temporis dilutior fa-

ctus ita sit imminutus, ut vel ab oculatissimis fraus ipsa detegi non ampliùs potuerit?

Est & alia conciliandorum horum testimoniorum ratio, quam Launoïus ipse loco suprà citato innuit: cùm ait dubitare se admodum, num Padolironensis ille Codex, qui sibi Parisiis anno 1652. exhibitus est, idem fuerit cum eo qui Romæ anno 1641. Naudeo fuerat exhibitus; immò conjicere se, idque multis argumentis, alium prorsus ac diversum fuisse: sic enim scribit. *J'ay principalement trois raisons qui me persuadent que le manuscrit qui m'a esté presenté n'est pas celuy duquel le sieur Naudé porte jugement dans sa relation. La premiére, est que le sieur Naudé dit qu'on lit ces trois vieilles lettres* Jho, *qui étoient dans le titre du manuscrit qu'il a veû; ce qu'on ne lit point dans celuy que j'ay veû. La seconde, que le sieur Naudé dit que le mot de* Cancellarii *étoit dans le même titre; ce qui ne se peut dire en aucune façon du manuscrit dont je parle. La troisiéme, que le sieur Naudé ne fait point de doute qu'à la fin du manuscrit qu'il a veû, il y avoit auparavant* Joannis Gerson; *mais dans celuy que j'ay veû ces mots là n'y furent jamais.* Quæ si à Launoïo verè dicuntur, uti par est credere, quidni & alius similiter dubitet? num idem Padolironensis Codex anno 1671. clarissimis viris exhibitus sit, qui anno 1652. Lanoïo fuerat ostensus?

Atque ex his omnibus quæ de uno solo Padolironensi Codice hactenus narravimus,

facilè videre eſt illud, quod initio dicebam: à Clariſſimis viris, ſi aut iis vacaſſet, aut libitum fuiſſet dijudicare, an ullus manuſcriptorum horum Codicum Gerſenis jus aſſerat, aut Thomæ incommodet, perfacilè ſtatim deprehendi potuiſſe nihil omnium minùs effici. Sed contrà: cùm in pleriſque fraus ipſa, quâ loco *Gerſonis*, *Gerſenis* nomen inculcatum eſt, manifeſtè appareat, hinc Gerſenis iſtius cauſam prorſus labefactari. Sciunt enimverò veriſſimè & elegantiſſimè dictum à Tertulliano: *Quidni falſum, cujus teſtimonium quoque ex falſo eſt? quomodo credam non mentiri eum, qui mentitur, ut credam?* Gravioribus itaque rebus occupati Thomæ Kempenſis & Pſeudogerſenis cauſam illis quorum intererat diſceptandam prorſus dimiſere.

*Tertul. l. de anima.*

Mirum tamen quàm ſuperbos exinde triumphos egerint adverſarii. Incredibile, quantùm conati ſint apud incautos ingentibus tantorum virorum nominibus illiberaliter abuti. Continuò quippe ſermonibus crebris ubique ſparſum ac divulgatum eſt, quidquid in hac almâ Pariſiorum Civitate litterarum domicilio, eruditorum eſſet, partes Gerſenis in celeberrimo conſeſſu tandem amplexatos eſſe. Illicò inſtrumentum publicum hoc de conſeſſu, in quo M. SS. Codices librorum de Imitatione Chriſti coram Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi ventilati atque diſcuſſi fuiſſe dicuntur confectum. Nova ſtatim librorum de Imitatione Chriſti nomine

Johannis Gersenis Abbatis Benedictini editio, magnis sumptibus adornata : illi editioni instrumentum hoc magnificentissimis verbis præfixum. Ex eo instrumento eruta, aut potiùs conficta argumenta, quibus non Thomam Kempensem, sed Johannem Gersenem, libri controversi autorem esse demonstraretur. Hoc semel & iterum libris hac de re editis evulgatum : & quæ tandem in Græcorum levitate fuisse dicitur perversitas, qui maledictis insectabantur eos à quibus de veritate dissentiebant : Sapientissimi ac Religiosissimi viri Thomæ de Kempis memoria bonorum omnium quotquot hactenus trium penè retrò sæculorum ævo extiterunt, laudibus semper celebrata, contumeliis ac probris onerata est. Scriptum quippe est in variis horum librorum locis, ipsum sic proprio penicillo posse depingi. *Scolaris Daventriensis, qui scribere ac legere utcumque noverat, immò librarius & libellio, ita præclarus ut erratorum myriades admitteret, quæ nemo grammaticus committeret: & quæ essent hominis non in rectâ tantùm scribendi ratione aberrantis, sed haud planè capientis quid scriberet. Vitæ spiritualis adeò rudis, ut nisi post exactum toto sexcennio tyrocinium nuncupandis votis idoneus non fuerit ob animi levitatem & ingenii tarditatem.*

Nemo profectò non videt officii nostri fuisse, injurias viro innocentissimo inter asceticos Autores de Christianâ Republicâ omnium optimè semper merito, tam malè illatas pro-

pulſare: prudentiæ que ac vigilantiæ noſtræ ſimul extitiſſe, tendiculas non ex inſidiis, ſed apertè & palàm tanto ſtudio ab adverſariis comparatas proſpicere, omnique ope, ne incautos irretiant, ſicque fructus & gloria pietatis & induſtriæ alienæ ad eos transferantur, providere.

Iſtud ego, amicorum precibus adductus, & quorumdam autoritate permotus, in his Vindiciis præſtare conatus ſum. Quas Vindicias jam abhinc biennio confectas, & clariſſimis quibuſdam viris lectas, nec improbatas, diu eſt quod evulgaſſem. Sed cauſa differendi fuit; tum propterea quòd in eis M.SS. quorumdam Codicum fide & teſtimoniis uterer: qui Codices cùm ex inferiori Germaniâ huc advehendi eſſent, jamdiu interclusis ob bella in hiſce regionibus graſſantia itineribus, ſeriùs aſportari potuerunt; tum propterea quòd, quantumvis licet amicitiâ ducerer, autoritate permoverer, veritate denique compellerer, nonniſi tamen invitus ad has Vindicias acceſſerim; quippe qui ſemper exiſtimaverim, *honorem*, quod prudenter ait Sapiens, *eſſe maximum homini, qui ſeparat ſe à contentionibus.* Prov. c. 20. v. 3.

Harum porrò Vindiciarum tres erunt omnino partes. In primâ multis argumentis, tum extrinſecus, tum ex ipſo libello erutis, Thomam de Kempis Canonicum Regularem libri controverſi autorem eſſe demonſtrabitur.

In ſecundâ, diſcutientur argumenta, quibus RR. PP. Benedictini nuper uſi ſunt, ut probarent Thomam Kempenſem horum librorum autorem non eſſe.

In tertiâ denique oſtendetur nullum totis quadringentis annis teſtimonium extare, Joannem Gerſenem de Canabaco in humanis unquam & uſquam egiſſe; ſolventurque ea omnia, quæ ipſi dicuntur adminiculari. *Aderit operi Deus*, quod in quodam libello ſuo dicebat Auguſtinus, *nec me deſeret, ſi nihil fingo, ſi officio ducor, ſi veritatem amo, ſi amicitiam diligo, ſi multùm metuo ne alii fallantur.*

*Aug. lib. de util. cred. c. 2.*






# TABULA CAPITUM.

## *PARS PRIMA.*

Thomam de Kempis Canonicum Regularem domus Sanctæ Agnetis prope Zwollas librorum de Imitatione Christi authorem esse.



## *PARS SECUNDA.*

Diſcutiuntur argumenta quibus utitur Delfavius ut probet Thomam de Kempis non eſſe librorum de Imitatione Chriſti autorem.

## *PARS TERTIA.*

Joannem Gersenem de Canabaco librorum de Imitatione Christi non esse autorem.

## *Extrait du Privilege.*

PAR Lettres Patentes du Roy données à Paris le 4. May 1676. signées D'ALENCE', & scellées du grand Sceau de cire jaune, il est permis au R. P. N. Chanoine Régulier de la Congrégation de France, de faire imprimer, en tel volume, marge & caractére qu'il voudra, le livre qu'il a composé, & qui est intitulé, *Vindiciæ Kempenses*; & ce pendant le temps & espace de dix années consecutives. Avec défenses à toutes personnes, &c.

*Achevé d'imprimer le 30. jour de Juin 1677.*

## *Permissio R. P. Generalis.*

NOs Frater Paulus Beurrier, Abbas Sanctæ Genovefæ Parisiensis, & Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ Præpositus Generalis, facultatem fecimus R. P. Ph. T. S. G. & A. P. C. typis mandandi librum à se exaratum, cui titulus est, *Vindiciæ Kempenses adversùs R. P. Franciscum Delfau Monachum ac Presbyterum Congregationis Sancti Mauri.* In cujus rei fidem præsentes signo sigilloque nostris munitas fieri mandavimus. Datum Parisiis die vigesimâ-secundâ Junii anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo-septimo.

F. P. BEURRIER.

De mandato Reverendissimi
P. Præpositi Generalis,
F. DOUFRERE.

VINDICIÆ



# VINDICIÆ KEMPENSES

*ADVERSUS*

R. P. FRANCISCUM DELFAU

MONACHUM CONGR. S. MAURI.

*PARS PRIMA.*

THOMAM DE KEMPIS Canonicum Regularem domus Sanctæ Agnetis prope Zwollis librorum de Imitatione Christi authorem esse.

---

## CAPUT I.

*THOMÆ DE KEMPIS librum de Imitatione Christi adscribunt authores omnes coævi, suppares & recentes ad nostram usque ætatem.*

NUNQUAM tot, neque tam certa in facti alicujus veteris controversiâ, apud æquos judices dirimendâ, proferri posse testimonia crediderim; quot & quàm explorata pro libris de Imitatione Christi Thomæ de Kempis Ca-

nonico Regulari vindicandis, & iisdem Joanni Gerſeni, ut vocant, de Canabaco abdicandis argumenta militant. Ecce enim Thomæ noſtro ſacratiſſimum hunc libellum, floſculum devotarum mentium, verè delibatum, & Chriſtianæ Religionis medullam, plerique omnes authores coævi, ſuppares & recentes adſcribunt. Favent editiones quotquot abhinc ducentis retrò annis, innumeræ propemodum ubique terrarum ipſiſmet etiam R R. P P. Benedictinis ſæpè illas procurantibus, excuſæ ſunt. M. SS. Codices adſtipulantur. Patria denique authoris, ætas, vitæ inſtitutum, doctrina, ſtilus, reliquæque omnes, quæ ex ipſo libello eruuntur circumſtantiæ, in ipſum mirificè & ſingulariter conveniunt. Contrà verò eadem hæc omnia Joannem iſtum Gerſenem Italo-Benedictinum de Canabaco vel de Cavagliâ, ut commentum quoddam & otioſi otioque ſuo intemperantiſſimè abutentis hominis alicujus, figmentum omninò rejiciunt.

Quod ut ab omnibus partium præjudiciis & ſtudio liberis, tam videatur clarè & apertè quàm quod ab ipſis in

meridianâ luce conſpicitur. Primum omnium æquum eſt ut graves hac in parte & omni exceptione majores, authores benè multos inclito agmine triúmque penè ſæculorum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continuâ, iſtud ipſum teſtificantes, audiamus. Eſt enim hæc Auguſtini, immò ſenſus ipſius & naturæ, in his controverſiis dirimendis prima & certiſſima lex atque præſcriptio. *Unde conſtat*, inquit, *quid cujuſque ſit? Niſi quia his temporibus, quibus ſua quiſque opera ſcripſit, ea quibus potuit inſinuavit atque edidit, & indè in alios atque alios continuatâ notitiâ latiuſque firmatâ, ad poſteros etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt. Itaut interrogati, cujuſquiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere debeamus. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejuſmodi authorum libros, unde noverunt homines quod ipſorum ſint? niſi eâdem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continuâ.*

*Auguſt. l. 33. contra Fauſt. c. 6.*

Agmen hoc ducet author anonimus vitæ Thomæ de Kempis, cui vel ipſimet adverſarii meritò aiunt majorem quàm cæteris omnibus adhibendam eſſe fidem; tùm propterea quòd Kempenſi

*Teſtimonium Canonicorum Regularium montis Sanctæ Agnetis, qui cum Thoma de Kempis vixerunt anno circiter 1430.*

*Vita hæc Thomæ de Kempis ab anonimo scripta, vulgò habetur in fine librorum de Imit. Chr.*

penè coæuus fuit, tùm propterea quòd cùm ea dumtaxat narrare se scribat quæ à fratribus montis Sanctæ Agnetis, qui cum Thoma vixerant, audierat; quod de Thoma refert non tam unius hominis testimonium censeri debet, quàm communis universi hujus Conventus ac Monasterii vox & testificatio scriptis hujus authoris consignata. En igitur quod domestici illi & quotidiani convictores de sodali sibi Thoma testantur. *Iste bonus Pater* ( Thomas scilicet ) *solitus erat dicere quando fuit cum Conventu spatiando cum aliis, quando sensit inspirationem divinam, quando sponsus ejus voluit cum sponsâ loqui, tunc humiliter petiit licentiam dicendo: Dilecti fratres, oportet me ire, unus enim me exspectat in cellâ. Et fratres piè annuentes petitioni ejus multùm ædificati fuerunt, & sic impletum fuit in eo illud: Ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor ejus: & ipse Thomas ad Dominum illud dicebat, Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Quid tunc loquebatur Domino, & quid loquebantur ad invicem, habemus in tractatu qui de internâ Christi locutione est ad animam fidelem, qui tractatus* ( is jam est liber 3. de Imitatione Christi ) *habet*

*hoc idem pro themate in 2. Capitulo, Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

Cum Canonicis montis Sanctæ Agnetis Thomæ convictoribus, præerit etiam agmini Buschius Chronici Windesemensis author. Vir, ut Trithemius & Andreas Valerius referunt, ingenio, eruditione, & pietate clarus; qui unà cum Thoma in eodem Canonicorum Regularium ordine, & in Monasterio quod à Monte Sanctæ Agnetis, quem inhabitabat Kempensis, uno aut altero non ampliùs milliario distabat, totis quadraginta & amplius annis quàm familiariter vixit. Ambo iisdem dediti studiis, ambo varia pietatis edentes opuscula, ambo Monasteriorum suorum Chronica conscribentes, ambo denique suas sibi mutuò, quod ex multis apparet, schedas communicantes. Hic igitur in hac qua de agitur causâ testis tam idoneus & tam oculatus in Chronico suo Windesemensi, quod anno 1464. id est septem circiter annis ante mortem Thomæ, complevit, hæc refert. *Contigit*, inquit, *ante paucos dies obitus Joannis de Huesden, ut duo Patres notabiles de monte Sanctæ Agnetis propè Zwollis Ordinis nostri*

*Florebat Buschius temporibus Thomæ, & anno circiter 1440.*

*dictum Priorem nostrum super certis rebus consulturi in Windesem advenirent, quorum unus frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures devotos libros composuit, videlicet, Qui sequitur me, de Imitatione Christi, cum aliis, nocte insequuta somnium vidit præsagium futurorum.*

*Florebat Mauburnus in Monasterio montis Sanctæ Agnetis anno circiter 1488.*

Coævis & oculatis duobus hisce testibus comes aderit Joannes Mauburnus, & ipse domesticus, qui recens ab illorum ætate fuit & à Trithemio, Possevino, & Andrea Valerio egregiè commendatur tanquam ingenio clarus, scientiâ sublimis, & cælestis affectibus, qui in eodem ac Thomas montis Sanctæ Agnetis Monasterio vixit, ipsique suppar & penè coævus fuit. Hic igitur in Roseto suo spirituali 1. p.c. 4. membro 1. in quo de celebratione Missarum agit, hæc habet. *Teneatur*, inquit, *hac in re honestatis medium; hinc monet devotus Thomas noster Kempis lib. scilicet 4. cap. 10. non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus; sed serva bonum communem modum eorum quibuscum vivis.* Idem testatur eadem 1. p. tit. 6. c. 2. membro 1. Denique idem Mauburnus, ut à Trithemio, Gesnero, Andrea Valerio, & aliis refertur, scripsit

librum de Viris illustribus Canonicorum Regularium, quod opus M. SS. habetur in Bibliothecis multis, & extat in Sangenovefana, in quo libro hæc de Thoma refert. *Thomas de Kempis inter cætera opuscula quæ fecit, composuit libellum, Qui sequitur me, quod opus falsò quidam Domino Gerson attribuunt.*

Quartus iis accedet Jacobus Philippus Bergomensis, nobilissimus ac diligentissimus Historicus, qui cùm in fine supplementi sui testetur se anno 1434. natum esse, Thomæ Kempensi se coæuum pariter significat. Hæc autem vir ille clarissimus ad annum 1406. refert. *Thomas*, inquit, *natione Teutonicus, Ordinis Canonicorum Regularium, vir in divinis Scripturis admodùm studiosus atque eruditus, vitâ & conversatione valdè insignis, hac tempestate clarus existens, scripsit ad instructionem multorum subjecta opuscula, & primò de contemptu mundi libros quatuor, incipitque, Qui sequitur me.* *Florebat is anno circiter 1470.*

Quintus succedet Joannes Giler, vir ætate suâ celeberrimus, qui, ut refert Simlerus, magnis sumptibus & labore magno opera Joannis Gersonis Cancellarii collegit, ac in tres tomos edidit. Multa *Claruit anno 1488.*

etiam ipse composuit opera, inter quæ illud est cui *Navicula fatuorum* nomen fecit, in quo hæc habet: *Quantò natura ampliùs premitur & vincitur, tantò major gratia infunditur, ut ait Thomas de Kempis lib. 3. de Imitatione Christi c. 54.*

*Claruit etiam eodem anno 1488.* Sextus erit Petrus Scottus Canonicus Argentoratensis, vir, ut Trithemius refert, doctissimus simul & elegantissimus, qui anno 1488. hortatu Joannis Keiserbergii vitæ & operum Joannis Gersonis encomium adornavit, quod editioni operum omnium ejusdem Cancellarii Argentinensi anni 1488. & aliis deinceps penè omnibus præmittitur. In hujus encomii fine hæc ait Scottus: *Alii autem tractatus, qui Gersoni nonnunquam tribuuntur, sed tamen alium authorem certum habent, ut est libellus de contemptu mundi, quem constat esse à quodam Thoma Canonico Regulari editum, non sunt operibus Joannis Gersonis inserti.*

*Florebat is anno circiter 1490.* Septimo loco Thomæ suffragabitur ipsemet Trithemius, Abbas Ordinis Sancti Benedicti, maximi meritò inter eruditos nominis, qui libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc refert. *Thomas de Kempis, natione Teutonicus, Ordinis Cano-*

*nicorum Regularium Sancti Augustini montis Sanctæ Agnetis propè Zwollis in Diœcesi Trajectensi, vir in Scripturis divinis studiosus & eruditus, scripsit libros quatuor de contemptu mundi, Qui sequitur me, &c.* Idem refert in libro de illustribus Germaniæ viris.

Octavum illustre admodum & fide, ut opinor, apud Benedictinos Sancti Germani à Pratis dignissimum nobis testimonium exhibebunt trium, ut verbis Ascensii Badii dicam, pietatis Christianæ & Religiosæ observationis Ordinum Proceres; Benedictini scilicet Sancti Germani à Pratis, Carthusiani à Pomeriis Parisiensibus, & Celestini Villænovæ apud Suessionem. *Qui*, inquit Badius in epistolâ suâ editioni operum Thomæ anni 1523. præfixâ, *convenerunt me, suo quique jure obnixè postulantes, ut pientissimi & optimæ memoriæ fratris Thomæ à Kempis opera melliflua & ad veram Religionem maximè conducentia* (inter quæ libri de Imitatione Christi primo loco habentur) *prælo nostro iterum divulganda committerem, Benedictini quidem commemorantes quod superiore anno quædam prædicti Patris opuscula præter cætera pia & parænetica in en-*

*Editiones illæ anno 1521. & 1623. procuratæ sunt à RR. PP. Benedictinis.*

*chiridia & tomulos noſtra opera curaverint imprimenda, operumque exemplum, quod ex Alamannicâ impreſſione unicum habebant, in eorumdem impreſſionem abſumendum offerebant.*

Florebat anno 1545. Nonus inter teſtes illos enumerabitur Conradus Geſnerus, qui in Bibliothecâ ſuâ univerſali hæc habet. *Thomas de Kempis, natione Theutonicus, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini montis divæ Martyris & Virginis Agnetis propè Zwollis in Diœceſi Trajectenſi, ſcripſit multa de quibus feruntur de contemptu mundi libri quatuor, Qui ſequitur me, &c.*

Anno 1555. Decimus addetur Joſias Simlerus, cujus eſt hoc teſtimonium in epitome ſuâ. *Thomas de Kempis, natione Germanus, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ſcripſit libros quatuor de contemptu mundi.*

Anno 1565. Undecimus ſuffragabitur Guillelmus Eiſengrenius, qui in catalogo teſtium veritatis ad annum 1407. hæc refert. *Thomas de Kempis, Germanus, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, vir doctrinâ & ſanctitate conſpicuus, compoſuit de Imitatione Chriſti, & contemptu mundi libros quatuor.*

Denique duodecimus agmen hoc claudet vir longè doctiſſimus Aubertus ſcilicet Miræus, qui in auctuario ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, c. 478. hæc habet. *Thomas Kempenſis ſcripſit varia, inter quæ eminet verè aureus de Imitatione Chriſti libellus.* *Floruit noſtra ætate.*

Cæterùm contineo me ab authoribus pluribus ſupparibus & recentibus; Joanne, inquam, Groppero Cardinali, Ludovico Granatenſi, Henrico Spondano, Abrahamo Bzovio, & aliis innumeris; aut enim hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſit ſatis.

Nec eſt quòd tam incliti tot teſtium agminis fidem ullo modo elevari poſſe quiſquam putet: neque enim, quod ab adverſariis fieri ſolet, authores protulimus, qui aut nunquam fuerunt, aut jam non ſunt; vel in obſcuro poſitos, & M. SS. tantùm codicibus contentos, quibus homines fallere ac ludificari facilè poſſis; vel quorum ſententiæ in hac qua de agimus controverſiâ incertæ ſint, vel levi aliquâ opinatione conjectæ atque interpretatæ, aut demùm etiam mirâ confidentiâ confictæ. Sed toti Orbi ſcriptis ſuis illuſtres vi- *Adverſarii pro Gerſene ſuo novos prorſus homines proferunt, & Ioannis Baptiſtæ Modenæ teſtimonium M. SS. quodam codice contentum, & Pariſiis nuper confictum.*

ros adduximus in luce publicâ poſitos, graves, antiquos, ab omni partium ſtudio liberos; & qui in hac qua de agimus cauſâ ſententiam iis temporibus protulerunt, quibus eos cuiquam malè vel adverſari, vel favere voluiſſe, nemo, niſi temerè, poteſt ſuſpicari: uno verbo tales adduximus, quibus ſi vel unum parem ab anno 1220. quo vixiſſe volunt Gerſenem de Canabaco ad noſtram uſque ætatem, quâ Gerſenem iſtum è cerebro ſuo produxit Caïetanus: ſi, inquam, vel unum parem toto illo quadringentorum annorum ſpatio proferant adverſarii, ſponte cauſâ cadimus, & magnum deinceps cum illis Gerſenem prædicamus. Quod quamdiu ab illis non erit præſtitum, patiantur nos cum prudentibus & eruditis ſuum iſtum de Canabaco Gerſenem interim habere pro fabulâ.

Unum enim hic addo, quod prudentes omnes maximè movere debet, nulli ſcilicet prorſus authorum, qui ante Thomam Kempenſem vixerunt, libros de Imitatione Chriſti, licèt totis ducentis jam antè annis illos extitiſſe velint adverſarii, laudatos aut cognitos fuiſſe;

contrà verò à Thomæ Kempensis tempore ubique terrarum statim innotuisse, ipsique ab omnibus prorsus authoribus coævis, supparibus & recentibus, quorum aliquos modò appellavimus, toto trium sæculorum ævo ad nostram usque ætatem, & Caïetanum, qui nescio quem suum Joannem Gersenem de Canabaco, vel de Cavagliâ Benedictinum, horum librorum authorem, commentus est, adjudicatos fuisse. Quo vel uno solo argumento quis non videat invictissimè demonstrari Thomam de Kempis horum librorum verum ac germanum parentem esse, obstinatæque admodum ac perpugnacis mentis habendos, qui contradicunt.

---

## CAPUT II.

*Editiones omnes veteres & recentes favere Thomæ de Kempis.*

QUOD plerique omnes omnium Ordinum authores, tanto tamque inclito agmine toto illo trium retrò sæculorum ævo palàm sæpè testati sunt, nempe Thomam de Kempis, verum

ac legitimum librorum de Imitatione Christi parentem esse; istud etiam à ducentis annis, ex quo ars Typographica adinventa est, in Alamanniâ, Flandriâ, Galliâ, Italiâ, Hispaniâ, cæterisque suis omnibus regionibus ac Provinciis, Europa ipsa universa nonaginta & ampliùs horum librorum nomine Thomæ excusis editionibus, & factis versionibus omnibus penè linguis, publicâ quasi voce sæpiùs comprobavit. Ut propterea verissimè profectò & elegantissimè Bernardus Bauhausius Societatis Jesu, vir elegantissimus, in suis Epigrammatibus scripserit.

*Memnonidæ, lampas quos delia prima colorat*
*Et pharetratorum gens Othomannigenum*
*Et tincti moro Mauri, ferrugine Iberi,*
*Et violâ tinctus Sarmata, Belga rosâ*
*Kempensem cuncti Thomam noruntque leguntque,*
*Dumq; erit aura, soliū, Flamma, Salumq; legent.*
*In tenebris, Thoma, te non sinet iste libellus,*
*Qui sequitur me non ambulat in tenebris.*

Neque verò est quòd harum omnium editionum ac versionum numerum innumerabilem hîc ineamus. Cùm de his satis inter nos & adversarios constet, & illas omnes doctissimus Heserus S. J. in

dioptrâ suâ recensuerit, & harum pleræque passim in Bibliothecis, imprimisque Sangenovefanâ existent, è vetustioribus ac præcipuis quasdam dumtaxat profero.

Prima itaque, quæ in notitiam nostram hactenus quidem venerit (quin enim priores aliæ extiterint vix ullus dubito) ea est quæ in illustri Bibliothecâ amplissimæ Reipublicæ Augustanæ asservatur, in cujus editionis fine ista verba habentur. *Viri egregii Thomæ montis Sanctæ Agnetis in Trajecto Regularis Canonici libri de Christi Imitatione numero quatuor finiunt feliciter per Zeintherum Zainer ex Reutlingen progenitum litteris impressum aheneis.* Quo anno Zintherus prælo suo libros hos subjecerit, annotare pro more aut pro incuriâ illius sæculi neglexit, præfert tamen in fronte codex luculentum senii sui testimonium, illud nempe. *Liber iste emptus est à Conventu Augustensi Fratrum Carmelitarum anno 1486.* immò éx antiquissimo necrologio Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini ad Sanctam Crucem Augustæ Windelicorum (quo loci sibi Zintherus anniversario Sacro

parentari voluit ) constat ipsum diem suum obiisse 14. Aprilis anno 1475. unde etsi Zintherus librum hunc nonnisi ultimo vitæ suæ anno excudisset, is quarto post mortem Thomæ anno esset editus, obiit enim Kempensis anno 1471.

Porrò quod de isto codice à nobis relatum est, item de Typographi obitu Reverendissimus D. D. Gaspar Episcopus Adrumetinus, Episcopatus Augustani in spiritualibus Vicarius Generalis, inspexit, legit, & publico confirmavit instrumento, quod extat in Bibliothecâ Sangenovefanâ.

Sed hoc loco facere non possum quin doctissimi Heseri dignam sanè animadversionem referam : ait igitur dioptræ suæ parte 1. c. 7. cùm idem urgeret argumentum, incidisse se in Roderici Episcopi Zamorensis speculum vitæ humanæ ab eodem Zeinthero impressum, cujus hæc verba exscribit. *Finit liber dictus, Speculum humanæ vitæ, &c. à Zeinthero Zainer ex Reut-lingen cive progenito anno 1471. Idus verò Januarias 3. Est autem*, inquit Heserus, *idem prorsus hujus speculi typus ac character,*

*racter, qui librorum de Imitatione Christi nomine Thomæ ab eodem Zeinthero editorum; unde non sine verisimilitudine judicatur opus de Imitatione Christi excusum esse ante Speculum vitæ humanæ. Videntur enim desiderasse Lectores, ut indicaretur ubi & quando liber aliquis esset editus; aut etiam ipsimet notasse Typographi apponendum esse annum editionis ab iis absolutæ.* Quòd si placebit hæc conjectura, ut revera cordatis omnibus & candoris amatoribus placere debet; ecce habemus librorum de Imitatione Christi codicem, adhuc vivente Thoma ejus nomine typis publicè editum.

2. Editio est Martini Flach, Argentinæ, anno 1487.

3. Eodem loco, anno 1489.

4. Lugduni, anno etiam 1489. quæ extat apud Sanctam Genovefam.

5. Parisiis, per Joannem Lambert, anno 1493. Extat etiam in Bibliotheca Sangenovefana.

6. Est Norimbergensis, anno 1494. à Pirkamero Visitatore Ordinis Carthusiensium, & Petro Danhauser viro doctissimo procurata. Extat in multis Bibliothecis.

7. Parisiis, anno 1523. quam per Ascensium Badium, trium illi, ut suprà diximus, pietatis Christianæ Ordinum Proceres R R. scilicet P P. Benedictini D. Germani à Pratis, Carthusienses & Celestini tam piâ sollicitudine procurarunt.

8. Venetiis, anno 1535. apud Stephanum Sabiensem.

9. Parisiis, anno 1541. ab Achilla Statio.

10. Ulisipponæ, anno 1542. à celeberrimo Ludovico Granatensi procurata.

11. Parisiis, anno 1549. à doctissimo Putherbeo procurata.

12. Antuerpiæ, anno 1574. ex Typographia Philippi Nutii.

Supersedeo pluribus aliis editionibus Thomæ nomine ubique penè terrarum excusis, longâ & minùs necessariâ (cùm hac de re palàm constet) serie recensendis. Unius certè unici Caïetani Italo-Benedictini nostrâ memoriâ commentum fuit, ut libri de Imitatione Christi anno 1616. Gersenis de Canabaco nomine hactenus inaudito, & omnibus retrò seculis incognito, primùm prodierint in lucem.

Equidem unum hîc omittere non possum, neque verò debeo è vetustioribus scilicet editionibus, unam aut alteram clarissimi Joannis Gersonis Parisiensis Cancellarii, aut etiam Divi Bernardi nomen præ se ferre; sed istud ne dum causam Kempensem quidquam incommodet, immò juvat plurimùm.

Nam Bernardum quod spectat, res est in promptu, non ipsum horum librorum authorem esse posse, cùm in eorum tertio, capite 50. disertè laudetur B. Franciscus, qui totis 80. annis Bernardo posterior fuit.

Et meritissimum quod attinet Cancellarium, ex ejus etiam parte res est in vado, cùm is numquam vitam Religiosam aut Monasticam professus sit, cui tamen se addictum piissimus librorum de Imitatione Christi autor, nec obscurè, nec semel declarat l. 3. c. 18. 56. &c.

Immò, ut dixi, hinc mirificè causa Kempensis promovetur. Cùm enim, ut Gersonis nomine libri de Imitatione Christi à quibusdam Typographis ederentur, non fuisset commissum, nisi vel ut ipsâ tanti famâ Cancellarii, qui in

Concilio Conſtantienſi *uſque adeò ſuperexcellens Doctor dictus fuerat, qualis vix in tota Chriſtianitate reperiri poterat*, faciliùs libri illi divenderentur : aut certè, quod veriſimilius eſt, propterea quòd in nonnullis M. S S. Codicibus ( cujuſmodi etiam nunc plerique viſuntur) Opuſcula quædam Gerſonis nomine ipſius inſignita, ut liber *de meditatione cordis*, aut *de conſiderationibus*, cum libris *de Imitatione Chriſti* ſine nomine attexebantur: unde contingebat, ut codex integer nullo diſcrimine ſub uno & eodem Gerſonis nomine à quibuſdam Librariis autorem operis de Imitatione Chriſti ignorantibus ederetur. Statim pro Thoma ab omnibus doctis, Badio, inquam, Petro Danhauſer, Mauburno, & quod maximè ad rem noſtram facit, Petro Scotto, qui vitæ & operum Gerſonis anno 1488. elogium texuit, & à Joanne Geilero, qui ejuſdem Cancellarii opera omnia in tres tomos edenda procuravit; ſtatim, inquam, pro Thoma huic quorumdam Typographorum errori reclamatum eſt. Unde factum eſt, ut deinceps in multarum, quæ priores has conſecutæ ſunt, editionum initio

vel fine, hæc verba frequenter legantur : *quamvis iste libellus dicatur Joannis Gersonis, autor tamen ipsius fuit Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.*

---

## CAPUT III.

*M. SS. codices plerosque adstipulari Thomæ de Kempis.*

NON priùs M. SS. ullos codices, magno licèt numero, Thomæ nostro, vel ipso adhuc in vivis agente, nominatim adstipulantes profero, quàm unum imprimis hîc observandum, & quod erit posthac sæpiùs utendum præmisero. Nempe Canonicis Windesemensibus, itidemque Montis Sanctæ Agnetis id moris & instituti fuisse, ut à primis conversionis suæ annis, otium malorum omnium fontem prorsus aversati, quod ex Divinorum & Ecclesiasticorum officiorum ritibus peractis, reliquum erat temporis, istud omne vel Sacris Libris lectitandis, vel in communem usum describendis ( nondum quippe Arte Typographorum adinventâ ) vel denique proprio ingenio com-

ponendis sedulò impenderent. Dicamque non reverens, aut assentandi suspicionem, aut aliorum invidiam paucos seculo 14. quo floruerunt, Religiosos majori quàm ipsos Ecclesiæ ornamento & utilitati fuisse.

*Vide Chron. Vvind. l. 1. c. 26. & alibi.*

Sed quod in rem præsentem imprimis venit, est illos cùm aliorum libros à se descriptos in lucem ederent, iis autorum nomina semper apponere: contrà verò cùm opuscula sua divulgarent, nomina sua præ modestiâ celare, aut immutare, aut saltem communi *Religiosi*, aut *Canonici Regularis*, aut *peregrini* nomine tegere consuesse. Horum primum patet ex multis Buschii capitibus, sed maximè ex l. 2. c. 37. Alterum vero cùm ex plurimis ex eodem autore desumptis exemplis probari etiam possit; tum verò hæc in præsenti sufficient.

Sic enim Joannes de Huesden Superior in Windensem Generalis libellum suum de *Vita & Passione Domini*, sive, ut appellat Trithemius, *de modo proficiendi in Religione* (de quo mox plura dicemus) primo conversionis suæ anno composuit; qui libellus ex hoc tempore inter omnes

Canonicos Regulares & Fratres devotarum Congregationum passim divulgatus est, sed nullo autoris nomine præfixo, ut colligitur tum ex Buschio, tum ex Sandero, qui illum referunt, sed sine autoris nomine. Unde & Trithemio errandi occasio fuit, ut illum Arnoldo Buschio tribueret.

Sic de Henrico Mandé l. 2. c. 43. hæc refert idem Buschius: *Quatuordecim*, inquit, *de vita spirituali & interna in Deum contemplatione edidit libellos, revelationes sibi factas continentes, sed tanquam de alio quodam, quos in Franceno & Teuthonico propriâ manu pulchrè descriptos, Librario Teutonicorum librorum in Windesem reliquit, ut debuit, custodiendos, cunctisque petentibus fratribus & externis benignè accommodandos.*

Sic de Gerlaco Petri c. 54. refert, quòd in ipso Clericatu suo, id est nondum sacris Canonicorum Regularium initiatus, & ætatis suæ circiter 19. aut 20. *multos libellos composuit, in quibus*, inquit, *optimum spiritualis vitæ speculum, & veræ perfectionis regula novitiis & tironibus Deo servire cupientibus apertè monstratur; sed in iis nomen propter Laïcos eos*

*habentes, noſcitur immutatum;* & mihi modò ante oculos obverſatur M. SS. Codex Monaſterii Canonicorum Regularium in Tongris, in quo codice plura diverſorum Canonicorum Regularium Opuſcula, nullis autorum nominibus inſignita continentur. Primi titulus ſic habet: *Soliloquium cujuſdam Regularis à cordis multiplicitate ad unum ſummum bonum continuò ſe colligentis:* incipitque, *In Spiritu humilitatis.* Et alterius titulus ſic habet: *Breviloquium ſeu exercitium vitæ Spiritualis:* incipitque, *In tumultibus & accidentiis exterioribus niti eſſe quietus, &c.* quæ duo Opuſcula conſtat eſſe Gerlaci Canonici Regularis Windeſemenſis.

Sic Joannes Mauburnus, vir eruditiſſimus, in converſionis ſuæ exordiis varia pietatis Opuſcula compoſuit, quæ, quibuſdam ea efflagitantibus, utenda commodavit; ſed nullo ſuo nomine inſignita; immò cùm ab iis poſteà cum hac inſcriptione, *Canonici cujuſdam Regularis Roſetum*, Baſileæ anno 1491. edita eſſent, ſuccenſuit illis vir modeſtiſſimus. *Mallem*, inquit in præfatione ſuâ, *has lucubrationes meas innomines & incognitas eſſe.*

Sic denique Thomas de Kempis, *vir ille*, ut meritò ait Langius, *Angelicæ doctrinæ*, adderet, *&* *modestiæ*, plures quidem composuit eximios & verè aureos pietatis tractatus, quos & aliis facilè utendos, sed nullo suo insignitos nomine concessit. Extat etiamnum Antuerpiæ, in domo Professâ Patrum Societatis Jesu, & thesauri instar asservatur Codex unus, partim papiraceus, partim membraneus, Thomæ manu exaratus, in quo plura ejus continentur Opuscula: sed nulli prorsus eorum nomen suum tanquam autoris studuit præfigere; immò, quoad ab illo fieri potuit, se autorem eorum esse nos celavit. In ejus enim codicis primo folio hæc dumtaxat præmittitur inscriptio: *Liber Monasterii Canonicorum Regularium in monte Sanctæ Agnetis Virginis ac Martyris prope Zwollis*; & in tertio folio habetur indiculus eorum quæ in toto codice continentur in hunc modum.

*Admonitiones ad Spiritualem vitam utiles, aliàs de Imitatione Christi, Qui sequitur me.*

*Admonitiones ad interna trahentes, Regnum Dei intra vos est.*

*De Sacramento altaris, Venite ad me omnes.*
*De interna Christi locutione, Audiam quid loquatur.*
*De Disciplina Claustralium.*
*Epistola devoti ad quemdam Regularem.*
*Recommendatio humilitatis.*
*De mortificata vita.*
*De bonorum pacifica vita.*
*De elevatione mentis.*
*Brevis admonitio ab exterioribus.*

In fine verò Codicis habentur hæc verba minio descripta. *Finitus & completus anno D. 1441. per manus fratris Thomæ de Kempis, in monte Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris prope Zwollis*; quæ subscriptio, ut optimè advertit Delfavius, nullo modo autorem designat. Quod usque adeo verum est, ut vel ipse Thomas totidem verbis nomen suum subtexuerit Missarum libro ac sacris Bibliis, quæ hodieque etiam visuntur Coloniæ & Lovanii, teste Rosweido in notis ad vitam Thomæ n. 7. & 8. *Finitus & completus anno Domini 1439. in Vigilia Sancti Jacobi Apostoli per manus fratris Thomæ de Kempis in monte Sanctæ Agnetis*, ut luce clarius pateat, Virum

modeſtiſſimum primi codicis ſubſcriptione adeo communi, quantùm ab illo fieri potuit, celare nos voluiſſe de ſe autore horum Opuſculorum, cùm non inde ſe magis habendum eſſe eorum autorem optimè videret, quàm Evangeliorum aut Epiſtolarum Pauli cum utriſque pari forma parique ratione ſubſcripſerit.

Itidem Lovanii, in Monaſterio Sancti Martini, extat Codex alter partim etiam papiraceus, partim membraneus, uti ſuperior etiam Thomæ Kempenſis manu exaratus, in quo hæc ejus continentur Opuſcula.

*Soliloquium animæ.*

*Admonitiones ad vitam Spiritualem utiles, aliàs de Imitatione Chriſti, Qui ſequitur me.*

*Admonitiones ad interna trahentes, Regnum Dei intra vos eſt.*

*De interna Chriſti locutione, Audiam quid loquatur.*

*De elevatione mentis ad inquirendum ſummum bonum.*

*Brevis admonitio Spiritualis exercitii.*

*De Sacramento Altaris.*

Et nullum prorſus nomen autoris,

immò nec amanuensis in hoc codice, aut in principio, aut in fine indicatur, nisi quòd in ejus primo folio hæc habentur: *Hic liber est scriptus manu & characteribus Reverendi & Religiosi Patris Thomæ de Kempis Canonici Regularis in Monasterio Sanctæ Agnetis prope Zwollis, qui est autor horum libellorum devotorum.* Joannes Ulimmerius Prior subscripsi 1586.

Neque verò tantùm librorum de Imitatione Christi & Opusculorum aliorum novem, quæ unà cum illis habentur in his codicibus, autorem esse se communi illâ, aut etiam nullâ subscriptione nos celavit Thomas, sed & in aliis operibus suis, sermonibus inquam ad novitios & vitâ Beatæ Liduvinæ idem etiam solo *Peregrini* nomine assumpto præstitit; illos enim sic inscripsit: *Sermones ad novitios fratris Peregrini.* Hanc verò sic: *Vita Beatæ Liduvinæ Virginis per fratrem Peregrinum.*

Atque ex iis jam palàm est omnibus nihil esse prorsus quòd miremur tot Librorum de Imitatione Christi M. SS. codices sine ullo autoris nomine in variis Bibliothecis Belgicis, Gallicis &

Italicis extare, cùm illi ex anonimis Thomæ de Kempis codicibus exſcripti ſint, non eſſe mirum in uno Mellicenſi Monaſterio codices hujuſmodi anonimos numero XI. reperiri ſimul cum uno Norimbergæ impreſſo anno 1494. qui nomen Thomæ de Kempis præfert. In Sancti Udalrici apud Auguſtam Windelicorum Monaſterio, in Vingartenſi, in Cavenſi, in Tongrenſi, in Pariſienſi P P. Celeſtinorum, denique in innumeris aliis Monaſteriis ac Bibliothecis tales ſæpè inveniri.

Sed neque jam etiam clàm quemquam eſt, tantum abeſſe tot M. S S. Codices nullo autoris nomine inſigniti, quidquam Thomæ Kempenſi & cauſæ ejus hac noſtrâ ætate ut incommodent, ut contrà potiùs vehementer illi ſuffragentur.

Nam ut de unis illis duobus codicibus à Thoma exſcriptis, Antuerpienſi, inquam, & Lovanienſi dicam, ſitne alicui veriſimile, Thomam de Kempis autoris librorum de Imitatione Chriſti nomen unquam omiſſurum, ſi alterius fuiſſet? Immò caditne in ullius mentis & conſcientiæ ſuſpicionem, virum Ange-

licæ prorſus modeſtiæ, ſicut & doctrinæ, qui hominum uſque adeo gloriam ex operibus ſuis, eximiis licèt, aucupari non affectabat, ut ea ſine ſuo nomine divulgaret, iſtud unquam commiſſurum fuiſſe, ut ſemel & iterùm in fronte & in medio operum ſuorum libros de Imitatione Chriſti insereret, & adſcriberet, ſibique ſic arrogaret, niſi verus & legitimus eorumdem, ſicut & aliorum parens eſſet? quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? poterat igitur certè unis illis duobus codicibus, ſi non egregiè diſſimularent adverſarii, lis tota dirimi; cùm enim fide omnium autorum, qui jam olim operum Kempenſis indices texuere conſtet, reliqua octo opuſcula, quibus hæc quatuor de imitatione Chriſti in hoc Autuerpienſi & Lovanienſi codice juncta ſunt & inſerta, à Thoma ipſo compoſita eſſe, cur de ſolis illis quatuor de Imitatione Chriſti dubitabimus?

Quamquam verò in Bibliothecis Belgicis ac Catalogis earum non deſunt etiam librorum de Imitatione Chriſti M. SS. alii codices plurimi, vel ipſius Thomæ ætate exarati, qui no-

men ejus tamquam autoris præferant. Id, ut refert Bollandus, R. admodum Pater Joannes Hasius, multis in Societate Jesu per Germaniam perfunctus muneribus, testatus est in Epistolis suis, qui & addebat plures hujusmodi codices in Bibliothecis Germanicis, maximéque Confluentiæ in Collegio eorum cui obvenerant plerique codices à devastato Regularium Monasterio se vidisse. Quod idem etiam testatur vir doctrinæ & probitatis famâ inclitus Dominus Chifflet, in Epistola sua Gallicè edita anno 1651. Parisiis ex editiotione Cramosianâ his verbis. *Comme je vis la controverse tellement opiniastrée, & les scandales de l'imposture qui vouloient avoir le dessus, je crûs que Dieu permettoit ce desordre, pour en faire naître la verité; & pour m'en éclaircir davantage, il n'y a manuscrit de cét Auteur dans les dix-sept Provinces des Païs-Bas & aux environs que je n'aye fait devoir de recouvrer, en ayant veû & leû & collationné plus de vingt avec grande curiosité & patience, & reconnu qu'une partie venoit du Mont Saint Agnés où a vescu Thomas, & des Monastéres aujourd'huy occupez par les Hé-*

*rétiques, où ces braves Disciples de M. Florent & de Gerard le Grand ont fleuri durant cent ans; & entre autres j'ay tenu plusieurs mois les originaux mêmes de nôtre Thomas avec respect & consolation. J'ay aussi eû communication de plusieurs Inventaires & Catalogues des livres de ce tems-là, où ceux de Thomas à Kempis, & specialement ceux de question, sont specifiez sous son nom, en sorte qu'il n'en reste aucun doute.*

Neque verò res est nobis factu admodum difficilis plures hîc recensere.

Primò enim ex illis 22. qui in Monasterio Mellicensi extant, nonnullos, ne dicam fortè undecim esse antiquissimos, qui Thomæ nomen præ se ferunt non levis est suspicio. Sed, opinor, hîc se circumveniri clamant adversarii. Quì enim, inquiunt, scimus id ita esse? Hinc nempe, 1°. namque Prosper Farandus Canonicus Regularis Mediolanensis id sibi compertum esse testatur, inter tot M. S S. codices unum nomine Thomæ inscriptum jam ab anno 1421. extitisse, nec istud unquam inficiari ausus est Caïetanus, aut Quadrimarius. 2°. Ex tot M. S S. codicibus undecim dumtaxat

dumtaxat hactenus in lucem producti sunt; undecim verò reliqui, etsi unà cum aliis in eadem Bibliothecâ, ut fatetur Quatremarius, suis integris numeris, litteris & loculis signati contineantur; nunquam tamen, ut in medium prodirent, à RR. P P. Benedictinis potuit impetrari. Cumque semel, iterùm & tertiò, ut viderentur, efflagitatum esset, toties ab illis responsum est, nec dum illos inveniri posse. Scilicet perfectè scitur quibus numeris, litteris & loculis signati includantur, & tamen ubi sint nescitur. Certè non est quòd in hac responsione diutiùs immorer. Nimium est enim quod ex eâ à prudentibus & minimè etiam malis hominibus intelligitur.

2°. Augustæ Windelicorum in Monasterio Sanctæ Crucis Canonicorum Regularium Sancti Augustini asservantur codices duo de Imitatione Christi; alter in folio, in cujus fine hæc subduntur: *Compilator hujus Opusculi fuit quidam frater Thomas nomine de Conventu & Ordine Canonicorum Regularium montis Sanctæ Agnetis Trajectensis.* Alter in quarto, in cujus fine hæc habentur: *A magno*

*Lapſatore abſolutus anno 1440.* Porrò antiquarii utrumque codicem ejuſdem eſſe manus judicarunt, ut liquet ex inſtrumento hac de re publico, quod extat in Bibliothecâ Sangenoveſanâ.

3°. Bruxellis in Bibliothecâ Carthuſianorum ſervatur codex antiquus, cujus ſibi per plures menſes uſuram factam fuiſſe ait clariſſimus Abbas Chifſletius, continetque libros quatuor de Imitatione Chriſti, hoc ſcilicet ordine, ut qui nobis jam tertius eſt, in eo ſit primus; & è contrà, qui nobis tertius, ſit in eo primus; & in ejus fine hæc verba manu ipſius exſcriptoris habentur: *Explicit devotus tractatus cujuſdam Regularis de interna locutione Chriſti ad animam fidelem, ſcriptus per manus fratris Jacobi Baenſt, finitus in anno* M. CCCC. LXIII. *die menſis Octobris.*

4°. Codex quo uſus eſt Zeintherus cùm nomine Thomæ adhuc ipſo in vivis agente libros de Imitatione Chriſti ante annum 1470. typis aheneis edidit; codex, inquam, ille certè nomen Kempenſis præ ſe ferebat.

5°. In illuſtri Auguſtanæ Reipublicæ Bibliothecâ extabat etiam non ita pri-

dem librorum de Imitatione Christi codex nomine Thomæ inscriptus, ut habetur in Catalogo Eliæ Ehingeri, impresso Augustæ anno 1633. sed jam in illo codice à quibusdam annis à folio 25. ad 48. omnia sunt excisa, adeo ut annus quo libri de Imitatione Christi scripti sunt, à Mathia Farinatore Ordinis Carmelitarum & Sacræ Theologiæ Lectore ejus codicis exscriptore, resciri non possit. A quibus flagitium istud sit perpetratum, viderint adversarii: certè non à nobis, quorum imprimis intererat monumentum istud conservari. Cæterum tamen annus ille facilè colligitur. Nam in eodem codice continentur alia multa Opuscula tomis duobus contenta, & in fine prioris habetur scriptum ipsum esse anno 1472. in fine verò posterioris anno 1475. Porrò inter priora Opuscula libri de Imitatione Christi nomine Thomæ Kempensis inscripti continebantur, ut Illustrissimus DD. Proepiscopus Augustanus, qui hæc omnia vidit, instrumento publico testatus est, quod extat in Bibliothecâ Sangenovefanâ.

6°. Admodùm R. D. Paulus Scosh,

Prior Rubræ Vallis, & Canonicorum Regularium Congregationis Windesemensis Superior generalis, penes se habuit ex Monasterio majore Maseikensi librum de Imitatione Christi nomine Thomæ anno 1477. ut Bollandus refert.

7°. Reinsbergæ in Monasterio Canonicorum Regularium membraneum codicem perantiquum haberi refert idem Bollandus, qui eodem nomine Thomæ de Kempis præfixo libros de Imitatione Christi continet.

8°. Denique, ut multis aliis recensendis supersedeam, Sanderus in Bibliothecâ sua M. SS. codicum Belgii plures perantiquos nomine Thomæ cum aliis suis operibus in variis diversorum Monasteriorum etiam Ordinis Sancti Benedicti Bibliothecis extare refert.

Primâ parte pag. 136. in Bibliothecâ Sancti Martini Tornacensis.

Pag. 193. in Monasterio Dunensi Ordinis Cisterciensium.

Secundâ parte pag. 3. in Monasterio Sancti Lamberti Lætiensis Ordinis Sancti Benedicti.

Pag. 88. in Bibliothecâ Trajectinâ ad Rhenum.

Pag. 150. in Monasterio Affliginiensi Ordinis Sancti Benedicti.

Pag. 168. in Bibliothecâ Ecclesiæ Parcensis Ordinis Præmonst.

Pag. 196. & 198. in Bibliothecâ Tungrensium Canon. Reg.

Et pag. 224. Lovanii in Valle Sancti Martini.

Restat unum hîc subjiciendum, nempe amanuenses quosdam in describendis nonnullis è primis illis codicibus anonimis, iis quædam initio, aut in fine Joannis Gersonis aut Bernardi Opuscula nomine eorum insignita attexuisse, ut de Gersone liquet, vel ex Mellicensi codice anni 1434. & innumeris aliis, & de Bernardo ex altero Mellicensi 1421. & pluribus aliis. Verùm qui posteà hos codices exscribebant, jam nullo habito discrimine & Opusculis & libris de Imitatione Christi, etiam cùm soli describebantur, Joannis Gersonis, aut divi Bernardi nomen apponebant; hincque, ut jam diximus, quibusdam Typographis errandi facta est occasio. Inde verò sumpta à Caïetano fabulam adornandi ætate nostrâ, quam exinde risus & admurmuratio spectatorum non me-

diocris sæpè consecuta est: nactus enim unum aut alterum ex recentioribus illis codicibus Joannis Gersonis nomine inscriptis, immutatoque exiguâ gladioli operâ *o* in *e*, jam personatum Joannem Gersenem pro autore librorum de Imitatione Christi magno conatu scenam suam ac fabulam adornans, intrudere tentavit, quem præthereà Benedictinum oriundum de Canabaco, Abbatemque Sancti Stephani Vercellensis finxit, & hominibus persuadere contra fidem omnium retrò sæculorum ineptè molitus est, sed exitu prorsus infelici: nam statim Heribertus Rosveïdus Belga Societatis Jesu scriptor diligentissimus, & Gabriel Naudeus Parisinus, vir non minùs veritatis amans, quàm doctrinâ celebris, fraude & corruptelâ horum codicum apertè denudatâ, choragium omne disturbaverunt; immò re ad Senatum Parisiensem delatâ anno 1652. Pseudo-Gersen iste Monachus Benedictinus limine pulsus est, & in medium deinceps prodire solemni edicto prohibitus.



## CAPUT IV.

*Patriam, ætatem, vitæque autoris institutum in unum Thomam convenire.*

*Argumentis sumptis ex ipso libello probatur autorem ejus esse Thomam a Kempis.*

QUI strictim à nobis summatimque antecedentibus tribus capitibus libata tum veterum scriptorum, tum editionum antiquarum, tum denique vetustissimorum M. SS. codicum testimonia legerint: quibus extrinsecùs, ut ita dicam, aurei de Imitatione Christi libelli, unus ac legitimus autor Thomas de Kempis, tam certò asseritur: satis, opinor, admirari non poterunt fuisse aliquem hac nostrâ ætate tantâ confidentiâ præditum, ut tam illis omnibus contraria sentiret, hominique ad hunc diem incognito, Joanni scilicet nescio cui de Canabaco, vel de Cavagliâ, sacratissimum illud opus contra trium retrò sæculorum fidem, adeoque contra sensus ipsius communis existimationem tribuere auderet. Verùm istud tum demùm multò facient magis, cùm quæ ex visceribus causæ, patriâ inquam, ætate, vitæ instituto, doctrinâ, stiloque

autoris eruuntur argumenta, viderint; has enim omnes circumſtantias non in fictitium Gerſenem Italo-Benedictinum de Canabaco, Abbatem Sancti Stephani Vercellenſis, quem anno 1220. unà cum Sancto Franciſco vixiſſe fabulantur, ſed in Thomam de Kempis Canonicum Regularem montis Sanctæ Agnetis prope Zwollis in Diœceſi Trajectenſi, qui florebat anno 1410. convenire, uſque adeò palàm, & oculis omnium qui hæc paulò diligentiùs examinant apparet, ut hac de re non plus dubitari poſſe videatur, quàm ſol ne in meridie luceat addubitamus. Res, quod attinet ad patriam, tempus, vitæque autoris inſtitutum, ſic clarè conficitur.

*Autorem Flandrum fuiſſe, & ex Germania inferiori oriundum.*

Primò enim voces Teutonicæ, Flandricæque phraſes, quas ſingulis librorum de Imitatione Chriſti capitibus habet autor, & uſurpat ſemper, quem alium ipſum quàm Flandrum ac Teutonem indicant? àge, quaſdam hîc exſcribamus.

Quem alium innuit hæc libri primi c. 1. phraſis adeo peregrina, *ſi ſcires totam bibliam exteriùs*, quis unquam & uſquam Latinarum, Italarum, vel alia-

rum gentium *memoriâ aliquid tenere* dixit *exteriùs ſcire?* hæc phraſis ſolis Flandris eſt uſitata, unde Florentius Daventrienſis in epiſtolâ quadam quam refert Buſchius l. 2. c. 39. *Conſulo tibi*, inquit, *quòd habeas ſpeculum Bernardi, & diſcas exteriùs.* Et infrà : *Libellum ſcis exteriùs*, id eſt memoriâ. Et c. 33. *Laïcis in publico faciens collationem quiddam exterius, id eſt ex memoriâ, ut moris eſt, dixit; ſed continuò ſcrupulo tactus dixit, oportet me librum reſpicere.* Certè hoc purum putum Flandriciſmum eſſe, vel ipſe Delfavius ſatis advertit, cùm ab editione ſuâ (quâ fide viderit) phraſim hanc uti & multas alias tam diligenter amovit, ne ſcilicet vel ex primo operis hujus capite ſtatim ab omnibus deprehenderetur, librum hunc non eſſe Italo-Benedictini, ſed Flandri & Teutonis. Quemadmodum olim Pollio deprehendebat in Livio patavinitatem.

Quem alium, quàm Flandrum, arguit hæc phraſis? l. 1. c. 2. *Hæc eſt altiſſima & utiliſſima cognitio, de ſeipſo nihil tenere.* Sic etiam Flandri loquuntur. Unde Thomas de diſcip. clauſt. c. 13. *Verè & beatè vivit, qui magis in Chriſto quàm*

*in ſeipſo manet, nihil de ſeipſo tenens.* Et Joannes de Hueſden in Regulâ ſuâ: *Nimis multùm non teneas de teipſo.* Quem alium, quàm Teutonem declarat hæc loquendi formula? l. 2. c. 10. *Non ponas te ad multam requiem, ſed ad patientiam.* Et l. 4. c. 11. *Oportet ut me ponam ad magnam patientiam.* Hæc etiam phraſis Teutonica eſt; unde Thomas Sermone ad novit. p. 2. S. 1. *Ponat unuſquiſque ſe ad patientiam, ſi vult habere cordis tranquillitatem.* Et Opuſc. 10. *Oportet te ad pacem ponere.* Et Buſchius l. 2. c. 24. *Frater ille putavit jam ſimpliciter ipſum ad pacem ponere ſe debere.* Quem denique alium, quàm Flandrum, indicant hæ phraſes, & voces l. 1. c. 7. *Ne ſtes ſuper teipſum.* Et l. 2. c. 4. *Quando homo ſtat ſuper ſeipſum.* Et l. 3. c. 41. *Fili, noli tibi attrahere, ſi videas alios honorari.* Et l. 4. c. 10. *Propter aliquam turbationem parvam vel gravitatem ſacram, ne dimittas communionem.*

Superſedeo innumeris aliis hujuſmodi peregrinis phraſibus, quibus ita paſſim autor ille abundat, ut qui Latinè & Flandricè ſcit, videat ipſum non Latinè magis quàm Flandricè loqui: cùm enim plures habeat Teutonicas voces

ac phrases, cum verò quas habet Latinas, non Latinè, sed prorsus Flandricè eloquitur, non quidem ingenii vitio, quod illi fuit admodum eximium, sed quòd vel sæculi sui barbarie & patriæ peregrinitate infuscatus fuerit, vel quòd cùm scribat sapientiâ duce, comite eloquentiâ, illam sequens, hanc ducens rerum quas scribit curam & sollicitudinem habet, verborum & compositionis eorum non item.

Quemadmodum igitur olim Ascensius Badius in illâ editione quam R R. PP. Sancti Germani à Pratis anno 1521. edendam procuraverunt, aiebat libros de Imitatione Christi Joanni Gersoni Cancellario Parisiensi Gallo perperàm adscribi, cùm totus stilus Teutonicam redoleat phrasim; ita nos illud idem etiam jam adversum ipsos Benedictinos dicimus, perperàm eosdem libros Joanni Gerseni Italo-Benedictino de Canabaco adscribi, cùm totus stilus Teutonicam redoleat phrasim.

2°. Autoris ætas Gerseni, quem anno 1220. vixisse fingunt, imprimis repugnat; ab eo enim integro duorum sæculorum intervallo distat; & contrà, *Autorem non vixisse nisi circa annum 1410.*

in Thomam de Kempis, qui anno 1410. post inchoatas *Devotorum* Congregationes & instituta Canonicorum Regularium Windesemensium Monasteria florebat, mirificè convenit. Ut enim omittam, cùm l. 3. c. 50. laudetur Sanctus Franciscus, qui nonnisi anno 1228. Sanctorum Catalogo ascriptus est, hinc liquere impossibile esse hoc opus jam ab anno 1220. ut volunt adversarii, compositum esse. Ut, inquam, hoc omittam, ecce autor, cùm sæpè Congregationum *Devotorum* mentionem faciat, tam disertè innuit se nonnisi anno circiter 1410. scripsisse, ut hinc dubitandi locus non supersit. Verùm argumentum istud, ut perfectè intelligatur, quædam ex historiâ Daventriensi eruenda sunt.

Autore Gerardo Grotio cive Daventriensi, ingenti sanctitatis & prædicationum suarum famâ *Magno* appellato, & Florentio Radwino, pietate etiam admodùm inclito, anno post Christum natum circiter 1376. primùm Daventriæ, deinde per totam Alamanniam, Flandriam, & Hollandiam institutæ sunt Sodalitates quædam *Devotorum*, seu Clericorum in communi viventium, un-

de posteà Canonicorum Regularium Windesemensium Monasteria prodierunt. De harum Sodalitatum origine scripsere Buschius, Thomas de Kempis, Andreas Valerius, Jacobus Revius in historiâ Daventriensi, & Joannes Lindebornius in notitiâ Episcopatûs Daventriensis. Et quidem Buschius de origine harum Congregationum c. 2. cujus hic est titulus: *Quomodo vita communis omnium Congregationum modernæ devotionis primarium suum sumpsit exordium à Venerabili Christi Levita Gerardo Magno*, hæc habet: *Hujusmodi occasione, Gerardi scilicet & Florentii, cum suis Clericis in vita communi viventium omnes ubique Congregationes* Devotorum, *Presbyterorum, Clericorum, & sororum primitivum suscepisse dignoscuntur exordium per orbem jam Alammanicum plurimùm dilatatæ.* Et Thomas in vita ejusdem Gerardi Magni c. 15. cujus hic est titulus *de devotis Congregationibus & Monasteriis à Gerardo Magno exortis: Benedictus*, inquit, *Deus, qui auxit populum suum, ut de paucis granis conversis surgerent multæ Congregationes* Devotorum. Et Andreas Valerius: *Gerardus Magnus, vulgò Groot, Clericos sive*

*fratres vitæ communis, id est* Devotos, *instituit*. Idem & alii referunt.

Porrò hujuſmodi Sodalitates *Devotorum*, ut à cæteris Religioſorum Collegiis, quæ Monaſteria dicuntur, diſtinguerentur, vulgò *Congregationes*, nomine ſibi ſingulari, in his locis & temporibus appellabantur, ut jam liquet, & ex his videri poteſt, quæ habet Thomas in unâ Epiſtolarum ſuarum: *Quid obloquimini, quia ſervi Dei mundum fugiunt, & Monaſteria vel Congregationes* Devotorum *intrant?* Et in vita Joannis Gronde c. 1. *Eximiæ Congregationis primus fundator extitit Florentius*. Cap. 2. *Cum primis fratribus Congregationis*. Cap. 3. *Manſit cum fratribus in Congregatione*. Et c. 28. *Fundatis quamplurimis Congregationibus & Monaſteriis*.

Harum verò Congregationum Sodales appellabantur *Devoti*, ut à Thoma frequentiſſimè in Chronico montis Sanctæ Agnetis c. 4. *Dominus Gerardus Canonicus in Trajecto magnus* Devotorum *amicus*. Et cap. 6. *Vir valdè honeſtus & potens, armiger in Hoſſelt, integer amicus* Devotorum. Et cap. 18. de Frederico Trajectenſi Epiſcopo loquens: *Fuit amicus omnium* Devotorum.

Aliquando appellabantur *Fratres Devoti*, ut c. 10. *Hic primùm Daventriæ cum devotis fratribus stetit.* Et c. 26. *Exiit ira Dei contra Devotos & devotas Congregationes Fratrum & Sororum.*

His prænotatis, ecce tibi autorem librorum de Imitatione Christi, de iisdem omnibus disertè mentionem facientem.

Et de *Congregationibus* quidem l. 1. c. 17. n. 1. *Non est parum in Monasteriis vel in Congregatione habitare.*

De *Devotis* verò ac *Fratribus devotis* eodem l. 1. c. 18. n. 6 *Utinam in te penitùs non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs vidisti exempla* Devotorum. Et l. 4. c. 14. cujus titulus, *de quorumdam* Devotorum *ardenti desiderio ad corpus Christi. Quando,* inquit, *recordor* Devotorum *tuorum Domine, tunc erubesco.* Et l. 2. c. 9. n. 6. *Sive adsint homines boni, sive* Devoti *fratres.* Et l. 3. c. 3. *Ego sum remunerator omnium* Devotorum. Et c. 52. n. 2. *In veritate confiteor, quoniam sum dignus omni ludibrio, nec decet me inter* Devotos *tuos commorari.* Et l. 4. c. 9. n. 5. *Offero tibi omnia pia desideria* Devotorum. Et c. 14. n. 3. *Licèt tanto desiderio, tam*

*Specialium* Devotorum *tuorum non ardeo.* Denique, ut omittam innumera alia loca, in quibus *Devotorum* meminit, c. 17. n. 3. *Omnium* Devotorum *jubilationes ardentes, affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes ac cælicas visiones tibi offero.* Quorumnam Devotorum in particulari fuerint illi ardentes affectus, mox dicam.

Tandem hîc omitti non debet Religiosos mendicantes his *Devotorum* Congregationibus, ac vitæ eorum communi statim ab initio vehementissimè adversatos fuisse; unde, ut videre est in primo tomo operum Gersonis Cancellarii, unus illorum frater *Mathæus Crambon*, in Concilio Constantiensi ausus est multas adversus eos propositiones pestiferas, ut loquitur Gerson, blasphemas, injuriosas, ac hæreticas proferre; nempe *non licere illis devotis vitam communem ducere, cùm religiosi non essent; facere eos contra jura Canonica; peccare mortaliter, tria vota, paupertatem, castitatem, & obedientiam voventes; peccare similiter eos omnes, qui hos consilio & auxilio juvarent.* Quod probare nitebatur quibusdam Joannis 22. extravagantibus, ac

D.

D. Thomæ, & Magiſtri Sententiarum doctrinâ. Verùm harum Congregationum à Cardinali Cameracenſi & Joanne Gerſone & aliis Theologis in hoc ſancroſancto Concilio agente Joanne de Hueſden Canonicorum Regularium in Windeſem Priore & præcipuo *Devotorum* amico, qui huic Synodo intererat, defenſione ſuſceptâ, coactus eſt *Mathæus iſte Crambon*, propoſitiones ſuas ſolemniter ejurare. Idem refert & Buſchius lib. 1. de origine harum Congregationum, tum cap. 2. in quo narrat cùm Florentius Gerardum Magnum aliquando ſic affatus eſſet: *Prædilecte Magiſter, quid noceret quòd ego & Clerici iſti in communi pariter viveremus?* Reſpondiſſe Gerardum, *communia, communia. Iſti de ordine Mendicantium nullatenus ſuſtinebunt, ſed totis viribus ſuis reſiſtere, & omnino ſe opponere tentabunt.* Tum cap. 3. cujus titulus eſt, *de fratribus mendicantibus communem vitam modernorum* Devotorum *reprobare conantibus, ſed à Gerardo Magno publicè convictis:* in quo capite hæc fusè exequitur; primò, quot in Cœnobiis horum Religioſorum, qui tum temporis, id eſt ſæculo 14. à pri-

ſtina regulæ & morum diſciplinâ longè defecerant, fierent mala. 2°. Quot ſcandala apud populum excitarent, moventes quæſtiones de Extravagantibus & Clementinis, quibus vitam communem *Devotorum* impugnabant, his dudum reprobatam & anathematiſatam cauſantes. 3°. Denique ſequenti capite narrat quomodo horum Religioſorum diſputationibus ac diſſenſionibus commoti Cives Campenſes, amici priùs Gerardi Magni ac diſcipulorum ejus, quoſdam *Devotos fratres* ex urbe ejecerint.

Et ecce autorem librorum de Imitatione Chriſti de iiſdem Religioſorum Mendicantium ſcandalis impugnationibus ac diſſenſionibus querentem, ſtatim initio libri primi c. 3. *O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicuti ad movendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cœnobiis.* Et c. 14. n. 2. *Propter diverſitatem ſenſuum & opinionum ſatis frequenter oriuntur diſſenſiones inter amicos & cives, inter Religioſos &* Devotos.

Ex quibus omnibus quis non clarè videat; cùm igitur in libris de Imita-

tione Christi tam frequens ac diserta *Devotorum fratrum*, Congregationum, ac impugnationis eorum Mendicantibus factæ occurrat mentio : hinc colligendum esse, impossibile prorsus esse ut liber ille anno 1220. à Gersene de Canabaco compositus sit, cùm constet illas Congregationes *Devotorum* nonnisi anno 1380. incepisse.

Tertiò, vitæ autoris institutum Gerseni repugnat, & Thomæ de Kempis convenit : nam, ut omittam autorem libri de Imitatione Christi se inter *Devotos* & in eorum Congregatione vitam egisse testari. Unde & eorum exemplo ad virtutis profectum sese incitat & accendit. *Utinam*, inquit l. 1. c. 18. *in te penitùs non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs vidisti exempla* Devotorum. Et l. 4. c. 14. *Quando recordor Devotorum, tunc erubesco.* Quod in Gersenem non potest cadere, & in Thomam mirè convenit, qui de seipso narrat in vita Arnoldi Sconoviensis : *Eodem tempore, adjuvante Domino Florentio, & consulente, domum ejus inhabitare cæpi, & ferè per annum in Congregatione illâ permansi.* Et in vita Joan. Gronde, c. 1.

*Autorem in his Devotorum Congregationibus institutum fuisse & Canonicum Regularem Vindesemensem.*

*Nunquam priùs tales homines tam* Devotos *vidisse me memini.*

Ut taceam similiter eumdem autorem, postquàm etiam vitam religiosam professus esset, scribere tamen se adhuc inter *Devotos* commorari. Lib. 3. c. 52. n. 2. *In veritate confiteor, quoniam non decet me inter* Devotos *tuos commorari:* quod etiam in Thomam mirè convenit; & quo solo testimonio tota de autore librorum de Imitatione Christi controversia posset dirimi, nisi egregiè dissimularent adversarii. Nam hinc luce meridianâ clarius patet autorem horum librorum fuisse Canonicum aliquem Regularem Vindesemensem. Nam Canonici Regulares Capituli Windesemensis hoc nomine appellabantur; unde & in singulis ferè capitibus Chronici sui hoc nomine Canonicos Windesemenses Buschius appellat, ut cùm ait cap. 15. *Patres* Devoti, *in Windensem;* & cap. 8. *Fratres* Devoti *in Windensem, & frater* Devotus *Joannes de Huesdem. Frater* Devotus *Gerlacus Petri. Frater* Devotus *Joannes Scutken.* Triplici autem de causâ hi Canonici Regulares *Devoti* appellabantur: tum propterea quòd à

Florentio Patre omnium *Devotorum* Monasterium Windesemense originem habuit, & qui primi in eo commorati sunt in schola Florentii priùs instituti fuerant; unde autor Chronici Vindesemensis l. 2. de origine modernæ devotionis c. 10. *Magnus ille*, inquit, *pater familias Dominus Florentius, in Daventria omnium* Devotorum *pater & patronus, primus Monasterii nostri in Vindesem inchoator, sollicitator & promotor fuit: omnes enim ejus erant discipuli, & in sancto proposito ab ipso instituti, atque de ipsius consilio, auxilio & favore totius Monasterii nostri & structuræ ejus pendebat effectus.* Tum propterea quòd diu lex illa in Vindesem & aliis Monasteriis viguit, ut nullus Sacris Canonicorum Regularium initiaretur, nisi priùs in domo Florentii inter *Devotos* diu probatus fuisset: unde idem autor Chron. Vind. c. 19. *Nullus*, inquit, *à fundatione Monasterii nostri per sexdecim & eo ampliùs annos ad Canonicorum Religionem susceptus est in Vindesem, qui non primò apud Patres istos* Devotos *exercitatus fuerat & probatus.* Tum denique propterea quòd tanta semper *Devotos* inter domus Florentii

& Canonicos Vindesemenses servata est unio, ut omnia prorsus illis essent communia, ac in nullo differrent. Unde idem autor Chron. Vindesem c. 15. *Dominus*, inquit, *Florentius, cæterique patres* Devoti, *& fratres nostri primitivi, quibus per omnia cor unum & anima una erat in Deo, in nullo penitus præterquàm in habitu, qualemcumque differentiam præferebant.* Unde & cap. 17. *Dominus*, inquit, *Florentius & alii Presbyteri domus suæ à nullis tractatibus communibus aut privatis fratrum nostrorum in Vindesem excludi consueverunt, sed ad omnia eorum consilia, & Monasterii negotia, tanquam in propriis suis domibus, libenter sunt suscepti.*

Ut, inquam, hæc omittam, ecce ipsismet verbis quibus autor ille librorum de Imitatione Christi utitur, ut se vitam Religiosam & Monasticam professum esse significet, clarè & apertè se unum ex illis *Devotis* & Canonicis Regularibus Capituli Windesemensis innuit. Hoc ut palàm omnibus illucescat, antequàm professionis ejus exprimendæ formulam affero, priùs animadverti velim *Devotos* & primitivos, ut loquuntur,

Canonicos Windeſemenſes, ut ſe ſuoſque ad vitam Religioſam, & in eâ conſtantiam, fervorem ac perſeverantiam vehementiùs accenderent & inflammarent, hac uti cohortationis formulâ ſolitos fuiſſe; nempe attentiſſimè cogitari, & animo diligenter expendi volebant, verè vitam boni Religioſi ac Monachi Crucem eſſe, ſed ducem Paradiſi. Hanc Crucem ſibi adeo impoſitam; hanc ſe propter Chriſtum ſuſcepiſſe; hanc ferventer amplectendam; retrò abire non licere, ſed in eâ fideliſſimè uſque ad mortem perſeverandum; Chriſtum porrò, qui dux & præceſſor in eâ fuiſſet, adjutorem futurum; ipſum ante eos egreſſurum; ipſum denique unà cum eis & pro iis pugnaturum. Hoc ſibi, hoc ſuis Patres illi, quà verbis, quà ſcriptis frequentiſſimè iterabant, & magnoperè commendabant.

Hinc autor Chronici Wind. l. 2. c. 4. *Cùm nulla*, inquit, *noſtra actio interna vel contemplatio poterit eſſe ædificatoria, niſi paupertatis & obedientiæ, humilitatis & continentiæ & pœnitentiæ Crucem amplecti videamur, & ad eam affici & inclinari cunctis indiciis approbemur: ideò*

*Patres noſtri primitivi in Windeſem hanc Crucem pœnitentiæ ardenter ſe amaſſe, poſteriſque ſuis ferventer amplectendam eſſe, verbis ſuis & ſcriptis docuerunt.*

Hinc Joannes de Hueſden Superior Generalis Capituli Windeſemenſis, libellum ſuum, de quo mox plura, orditur his verbis: *Dilecte frater, perſevera uſque in finem, ut ſalvus fias in æternum cum ſanctis, qui non ſolùm benè inceperunt, ſed etiam ſalubriter perſeveraverunt, in Sancta Cruce pœnitentiæ, quam propter amorem Dei ſuſceperunt.*

Hinc Chronici Wind. l. 2. c. 59. Henricus Loider ſuos ſic affatur: *Siccine ædificatur Crux Chriſti, ad cujus erectionem ſolemniter vos ibi eſtis collocati? amplectimini Crucem Chriſti.*

Hinc idem c. 67. de Alberto Winbergen Canonico Regulari in Windeſem: *Magnâ*, inquit, *reverentiâ Crucem Crucifixi geſtabat in manibus, ſed Crucem pœnitentiæ quâ mundo erat crucifixus, corde & corpore ſe portare in omni ſuo apparatu intuentibus ſe oſtendit, quem fratres ſervi Crucis ſunt ſecuti, pœnitentiæ Crucem deferentes uſque in altiſſima Dei Tabernacula.*

Hinc, ut refert idem autor c. 44. Henricus Mandé, vir altiſſimarum contemplationum in Windeſem, in quadam revelatione ſibi divinitus oſtenſâ ſuper ſtatum Devotorum & Canonicorum Regularium, *vidit omnes illos cum Gerardo Magno, Florentio, & Joanne de Hueſden, Crucem auream lapidibus circumornatam manu ſuâ geſtantes, pro eo quòd illam, dum viverent, geſtaſſent.*

Hinc denique Thomas à Kempis Serm. 3. p. S. 2. *Eia, fratres,* inquit, *dilecti, amplectimini deſideranter Crucem. O Religioſe Monache, noli ab aſſumptâ Cruce in Ordine recedere, ſed ſuſtine, & porta eam uſque ad mortem: Chriſtus cum Cruce tibi obviat, & iter ad cæleſte regnum, quò pergere debeas, oſtendit.* Et Opuſculo duodecimo.

*Vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi.*

Jam licet, & libet autorem librorum de Imitatione Chriſti loquentem audire, ac videre juvat an non etiam iiſdem prorſus verbis utatur. Hanc itaque loquendi formulam adhibet, ut ſe ſuoſque ad vitam Religioſam, & in eâ perſeverantiam cohortetur. *Suſcepi,* in-

quit l. 3. c. 56. *Suſcepi, Domine, de manu tua Crucem. Portabo, & portabo eam uſque ad mortem ſicut impoſuiſti mihi verè.*

*Vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi.*

*Eïa, fratres, pergamus ſimul; Jeſus erit nobiſcum. Propter Jeſum ſuſcepimus hanc Crucem; propter Jeſum perſeveremus in Cruce: erit adjutor noſter, qui eſt Dux noſter. En præceſſor Rex noſter ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis: ſequamur.*

---

## CAPUT V.

*Trium primorum de Imitatione Chriſti librorum doctrinam omnem, ſententias & præcepta ex Joannis Vooſii de Hueſden Superioris in Windeſem Generalis libello ſumpta eſſe.*

UT ne ab eo, quod ſuprà inſtituimus, argumento diſcedamus, quo librorum de Imitatione Chriſti autorem nonniſi poſt tempus ac ævum quo *Devotorum* Congregationes & Canonicorum Regularium Windeſemenſium Monaſteria à Gerardo Magno & Florentio inſtituta ſunt, vixiſſe aſſeruimus: ecce

alia quædam juvat hîc addere, quæ maximam his omnibus, quæ hactenus diximus, lucem allatura ſunt.

Haud dubitans itaque auſim aſſeverare trium primorum de Imitatione Christi librorum (ſi pauca quædam,quæ tum ex Scripturis Sacris, tum ex divinorum & Eccleſiaſticorum officiorum precibus, tum denique ex D. Bernardo, autor in hoc ſuum opus tranſtulit, excipias) reliquam omnem doctrinam, ſententias & præcepta ex quodam Joannis Vooſſii de Hueſden Superioris in Windeſem Generalis libello, qui maximè inter Windeſemenſes Canonicos, & fratres *Devotarum* Congregationum erat in uſu, ſumpta eſſe.

Et quandoquidem, hoc à nobis certò & evidenter ſi erit ſemel demonſtratum, ingens uſque adeo cauſæ Kempenſi hinc accedet pondus & momentum, ut ex illo ſtatim inclinata ac prolapſa ſpes omnis Gerſeniſtarum penitùs corruat ac profligatur: pretium aliquod operæ facturi ſumus, ſi argumentum iſtud paulò fuſiùs exequamur, ſi priùs tamen quis, qualis ac quantus vir fuerit ille Joannes Vooſſius dixerimus.

Autor Chron. Vvind. l. 2. c. 10.

Fuit Joannes Vooſſius oriundus Hueſden, quod nobile ac perantiquum oppidum eſt in Hollandiæ Brabantiæque confinibus, ſitum tertio ferè lapide à Silva Ducis, unde ei quoque deinceps cognomen factum.

Is admodùm adoleſcens, Daventriam, ubi tunc temporis bonæ artes imprimis florebant, ſtudiorum causâ, venit. Quibus dum ſedulus operam uti & pietati navat, Gerardi Magni ac *Devotorum*, ad quos frequentiùs adibat, conſuetudine delectatus, tandem iis adhærere, ac vitæ eorum inſtitutum ſectari ſtatuit.

Gerardus, ut erat acerrimus ingeniorum æſtimator, bonæ indolis & honeſtæ frontis adoleſcentem, verecundum, humilem, induſtrium, & in omnem virtutem flecti cæreum ac facilem intuitus, ingenti admodum in hoc pii juvenis propoſito exultavit lætitiâ; & quaſi animo præſagiens, *iſte eſt homo*, inquit, *quem quæſivi, cum quo bona in terra operabor; Spiritu enim Sancto revelante*, inquit autor Chronici Windeſemenſis, *cognovit eum Patrem & patronum futurum omnium* Devotorum *& Canonicorum Regularium reformandorum.*

Verùm cùm non ita multo posteà tempore Gerardus omnino caruisset rebus humanis, mansit Voossius noster in schola Florentii, à quo scientiâ & pietate auctus, tandem pro solito more in Windesem anno 1388. id est biennio post hoc Monasterium fundatum, & ætatis suæ anno 25. deductus est, ibique sacris Canonicorum Regularium initiatus, tantos brevi temporis spatio in virtutibus omnibus processus effecit, ut anno 1391. & ætatis suæ 28. votis omnium ita fieri ultrò efflagitantibus, in Superiorem Generalem sit electus. *Autor Chron. Vvind. l. 2. c. 12.*

Incredibile est quanta hinc vicinis omnibus provinciis facta sit lætitia, *quippe*, inquit autor Chronici Windesemensis, *toto orbi Alamannico Joannes de Huesden morum ac virtutum excellentiâ, alterum Bernardum, alterum Malachiam, plenus sapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus perfectissimè referebat.* Elucebat in moribus ejus modestia, in incessu gravitas, in verbis sapientia, in actionibus insignis quidam honestatis splendor, prudentia in consiliis, in negotiis gerendis dexteritas & sagacitas, in dignitatibus exercendis humilitas, in prof- *Autor Chron. Vvind. l. 1. c. 19.*

peris & adverſis æquabilitas; denique ore & vultu ſic cunctis gratiam exhibebat, ut omnes ad ſui obſervantiam ac venerationem ſimul alliceret.

Prior Generalis electus, ut ſedium patrum ſuorum dignus haberetur, & novellum hoc germen nuper inchoatæ devotionis, & Monaſticæ in Windenſem inſtitutionis à Deo ſibi creditum, inter crebras hujus mundi & humani generis inimici procellas & tempeſtates in omni charitate, pace & religione diligenter foveret, fructuique ſanctæ converſationis in Eccleſia erga omnes ferendo accommodum perduceret, Lutetiam Pariſiorum venit, ut *antiquum*, in-
*Autor Chron. Vvind. l. 2. c. 36.*
quit Autor Chronici Wind. *Religionis habitum & Ordinis diſciplinam à Canonicis Regularibus Sanctæ Genovefæ & Sancti Victoris perfectiùs edoceretur, ac in ſuos fratrumque ſuorum mores transferret.* Quæ res adeo illi feliciter ceſſit, ut brevi
*L. 1. c. 19.*
tempore omnis Monaſterii in Windeſem antehac exercita regularis obſervantia licèt magna & fervens extitiſſet, uſque ad hæc tamen primi regiminis ſui tempora, modica valdè & nonniſi veræ reformationis initia, & ſcintillæ

ipsius fuisse, à nonnullis viris Religiosis putaretur.

Propterea Joannes de Huesden celebris admodùm nominis ac famæ effectus, ac Martino Quinto Summo Pontifici, Petro de Halliaco Cardinali Cameracensi, multisque aliis Principibus ac Magnatibus viris notus probatusque, Congregationem suam Windesemensem per universam Flandriam, Alamanniam & Hollandiam, faventibus ultrò omnibus, latè propagavit. Neque verò idem minùs quàm suorum, Congregationum etiam *Devotorum* curam gessit, utpote qui in iis tuendis ac promovendis Gerardo Magno & Florentio successerat.

*L. 1. c. 41.*

*Autor Chron. Vvind. l. 2. c. 15.*

Is igitur talis ac tanti inter suos meritò nominis primis conversionis suæ annis libellum, sive, ut appellat, Regulam devotissimorum exercitiorum secundùm quæ à Gerardo Magno & Florentio fuerat institutus, Teutonicâ linguâ composuit; qui libellus ex hoc tempore tum in Monasteriis Canonicorum Regularium Windesemensium, tum in Congregationibus *Devotorum* maximè fuit in usu. Illum propterea

adhuc in variis eorum Bibliothecis Belgicis extare ait Sanderus, huncque integrum ex Teutonico in Latinum vertit; & refert Buſchius in fine Chronicorum *de origine modernæ devotionis*. Hujus libelli titulus ſic habet: *Epiſtola de Vita & Imitatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliis devotis exercitiis, ſecundùm quæ fratres & laïci in Windeſem ſe ſolent exercere*, incipitque, *Qui perſeveraverit*; & in fine hæc ſubduntur: *Juxta hunc modum fratres* Devotarum *Congregationum ſe ſolent exercere*; & Autor Chronici Wind. in vitâ hujus Joannis de Hueſden cap. 11. cujus titulus eſt, *de devotis exercitiis fratris Joannis de Hueſden, in initio Religionis, & antequàm ad ordines ſacros promotus eſſet: Pro compendioſa*, inquit, *Vitæ & Paſsionis Chriſti Domini forma menti ſuæ faciliùs imprimenda, cuncta ſua quotidiana formavit exercitia, in libello, Qui perſeveraverit; quem libellum nobis filiis & fratribus ſuis pro devotis exercitiis acquirendis plurimùm recommendans, ea nobis perſuaſit aſſumenda. Venit itaque apud nos in uſum optimum, ut tam fratres quàm converſi Clerici & Laïci ejus uſque hodie exemplum imitantes, in dictis exercitiis*

*exercitiis sedulò se exerceant, non parvum devotionis fructum, & divinæ dulcedinis saporem exinde consequentes.* Et in vitis illustrium in Windesem virorum multos refert, qui hoc exercitio ad mortem usque usi sunt.

Jam diximus libellum hunc à Trithemio *epistolam de modo proficiendi in Religione* appellari. Age ergo, jam quædam ex hac epistolâ excerpamus, & cum tribus primis de Imitatione Christi libris, de quarto posteà dicturi, comparemus, ut quivis videat quàm sit illud verisimile, quod prædiximus, horum librorum autorem doctrinam suam omnem & sententias ex præceptis epistolæ hujus Joannis de Huesden, quibus diu innutritus & exercitatus fuerat, mutuatum esse.

## CAPUT VI.

*Excerpta ex epistolâ Joannis de Huesden Superioris in Vindesem Generalis de modo proficiendi in Religione, seu libello de Vita & Imitatione Christi.*

INITIO epistolæ suæ Joannes de Huesden fratres, sive in Monasteriis, sive

in Congregationibus *Devotorum* commorantes, ad perſeverantiam cohortatur his verbis. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Dilecte frater, habeas præſcripta verba ante cordis tui oculos, & perſevera uſque in finem in ſancta Cruce pœnitentiæ, id eſt, in vita Religioſa & Monaſtica* (ſic enim appellabant Devoti) *quam propter amorem Jeſu Chriſti ſuſcepiſti.*

Et ecce Autor librorum de Imitatione Chriſti l. 3. c. 56. n. 4. iiſdem ſe & alios verbis ad perſeverantiam in vita Religioſa quam profeſſi fuerant, cohortatur. *Domine Jeſu ſuſcepi, ſuſcepi de manu tua Crucem : portabo, & portabo eam uſque ad mortem ſicut impoſuiſti mihi : verè vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi. Eia, fratres, propter Jeſum ſuſcepimus hanc Crucem, propter Jeſum perſeveremus in Cruce.*

Deinde monet Joannes de Hueſden diſcipulum ſuum, ut faciliùs perſeveret in vita Religioſa, intueatur exempla Sanctorum Patrum, convertat ſe ad Apoſtolos & Martyres, ad Confeſſores, Virgines, & ad reliquos omnes Sanctos. *Eorum inſpice*, inquit, *multiplices*

*& pergraves labores, & quàm perfectè Deo obtulerunt amicos & cognatos omnes & possessiones, temporalia bona, & mundi honores.*

Et Autor librorum de Imitatione Christi l. 1. c. 17. cùm suos ad perseverantiam cohortatus esset his verbis: *Non est parvum in Monasteriis, vel in Congregatione habitare, & inibi usque ad mortem fideliter observare: beatus qui ibidem benè vixit, & feliciter consummavit;* statim capite sequenti: *Intuere*, inquit, *Sanctorum Patrum vivida exempla. O quàm multas & graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes! omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis & cognatis renunciabant.*

Ait ibidem Joan. de Huesden hosce Sanctos datos esse in exemplum, monetque diligenter discipulum suum vitet exemplum Religiosorum tepidorum, *qui professionis*, inquit, *vinculo sese obligaverunt, & ad infelicem mundum corpore quidem non possunt redire, corde tamen illuc revertuntur.*

Similiter Autor lib. de Imit. Chr. ibidem. *Dati sunt*, inquit, *Sancti Patres*

*in exemplum omnibus Religiosis, & plus provocare nos debent ad benè proficiendum, quàm tepidorum numerus ad relaxandum. Religiosus tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, & exteriorem quærere prohibetur.*

Paginâ 3. hortatur discipulum suum ut salubriter perseveret; summum ejus studium sit in Vita Domini nostri Jesu Christi exerceri. *Vita Domini nostri Jesu Christi*, inquit, *quâ nos præcessit, fons est omnium virtutum, quâ mediante ad omnes virtutes citiùs pervenitur, sine qua ad veras virtutes & ad suum amorem pervenire non valemus.* Et Autor librum suum de Imitatione Christi voluit inscribi, quem statim ab his verbis orditur; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam ejus & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cordis cæcitate liberari: summum igitur studium nostrum sit in Vita Jesu Christi meditari.*

Addit: *Et quia exercitium & cognitio pariunt amorem; idcircò necesse est ut priùs in ea exerceatur, & qui ista negligit, quam-*

*vis haberet & sciret omnem Bibliam, & Scripturam, & legem unquam positam, aut conscriptam, id minimè sufficeret.* Et Autor lib. de Imitat. Chr. *Qui autem*, inquit, *vult plenè & sapidè Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. Si scires totam Bibliam exteriùs, & omnium Philosophorum dicta, quid totum tibi prodesset?*

Eadem paginâ promittit, si intentè in ea sese exerceat, sic futurum ut citò & sufficienter doctus evadat. *Si ad breve tempus*, inquit, *perseveraveris in hoc exercitio sanctissimæ Vitæ & Passionis Domini nostri Jesu Christi, ista præcepta & multò majora quàm tibi scribi poterunt, quietè & citò adjicientur.* Et Autor de Imit. Chr. l. 1. c. ultimo. *Religiosus qui se intentè & devotè in sanctissima Vita & Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet; nec opus est ut extra Jesum aliquid melius quærat. O si Jesus Crucifixus in cor nostrum veniret, quàm citò & sufficienter docti essemus!*

Addit: *Quid dulcius, ô dilecte frater, quid securius, quid simplici columbæ salubrius, quàm in petræ foramine, hoc est in Christi Jesu vulneribus delitescere, & re-*

*quiescere.* Et Autor lib. de Imit. Chr. l. 2. c. 1. *requiesce in Passione Christi, & in sacris vulneribus ejus libenter habita : si enim ad vulnera ejus devotè confugies, magnam consolationem senties.*

Monet tamen paginâ 18. dum mente & cogitatione cælestia tractabit, futurum ut turba cogitationum carnalium importunè animo occurrat. *Verum*, inquit, *cùm ita te exercere conaberis, multa forsan mala desideria, & diversæ cogitationes tibi occurrent, & grave & laboriosum tibi videbitur in principio, sed immò non desistas : clama in cælum pro adjutorio; quære, pete, pulsa.* Et Autor lib. de Imit. Chr. qui in his sese exercens, hæc in se experiebatur, vide quo ardore consilium magistri sui secutus, clamet in cælum, quærat, petat, pulset. *O quid*, inquit l. 3. c. 48. *intùs patior, dum mente cælestia tracto ! & mox carnalium turba cogitationum occurrit oranti. Deus meus, ne elongaveris à me, neque declines in ira à servo tuo. Fulgura coruscationem, & dissipa eas; emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes inimici; recollige sensus meos.*

Paginâ 20. *Considera*, inquit, *ubi sunt qui Domini & Principes terræ extiterunt;*

*ubi est omnis delectatio eorum.* Et Autor l. de Imit. Chr. l. 1. c. 3. *Dic mihi*, inquit, *ubi sunt modò omnes illi Domini, quos benè nosti, dum adhuc viverent, & studiis florerent in vita sua? aliquid videbantur, & modò de illis tacetur. O quàm citò transit gloria mundi!*

Paginâ 21. *Ad externa officia nullatenus, frater dilecte, aspires, nec aliquam prælaturam affectes.* Et Autor lib. de Imit. Chr. eodem l. 1. c. 9. *multò tutius est stare in subjectione, quàm in prælatura.*

Paginâ 22. *Libenter, cùm potest fieri, solus sis.* Et Autor l. de Imitatione Christi lib. 3. c. 53. *Pete secretum tibi; ama solus habitare tecum.*

Paginâ 23. *Nihil penitùs agas sine consilio; & plùs semper expertis, quàm tibiipsi, credas.* Et Autor lib. de Imit. eodem l. 1. c. 4. *Cum sapiente in conscientioso consilium habe, & quære potiùs à meliori instrui, quàm tuas adinventiones sequi.*

Paginâ 25. *Humilis corde sis, & apparatu, & nimis multùm non teneas de teipso.* Et Autor lib. de Imit. eodem lib. c. 2. idem præceptum & eandem phrasim Teutonicam nihil tenere de seipso habet, cùm ait: *Hæc est altissima & uti-*

*lisſima lectio, ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio, de ſeipſo nihil tenere.*

Addit Joannes de Hueſden : *Multò enim aliter ſæpè eſt quàm nos putamus de nobis; ſed cùm parùm tangunt adverſitates, tunc nos & alii quales ſumus, experimur.* Et Autor lib. de Imit. c. 16. *Quantæ virtutis quiſque fuerit melius patet occaſione adverſitatis : occaſiones namque hominem fragilem non faciunt, ſed qualis ſit oſtendunt.*

Paginâ 26. *Ama neſciri, & ab aliis contemni opta.* Et Autor lib. de Imit. eodem l. c. 2. *Ama neſciri, & pro nihilo reputari.*

Paginâ 27. *Iſtud ultimum noli negligere, quia cùm cognoveris quantum in notitiâ defectuum tuorum profeceris, tantum in Dei cognitione proficies.* Et Autor lib. de Imit. eodem lib. c. 3. *Quantò aliquis magis ſibi ſimplificatus fuerit, tantò plura & altiora ſine labore intelliget.*

Ultimâ paginâ libellum ſuum Joannes de Hueſden his verbis & admonitionibus concludit. *Quamvis autem*, inquit, *tibi, dilecte frater, regulam ad ſancta quidem exercitia citiùs perveniendi ſignavi, noveris tamen quòd omnibus homi-*

*nibus non æqualiter iſta conveniunt, quia dona Sancti Spiritus ſecundùm ſuam qualitatem hominibus conceſſa multiformia ſunt: uni autem ſic, alteri verò aliter.* Et ecce Autor librorum de Imitat. Chr. lib. 3. c. 47. ſimiliter inducit magiſtrum ſic erudientem diſcipulum ſuum: *Aliis loquor communia, aliis ſpecialia, aliquibus in ſignis & figuris dulciter appareo, quibuſdam verò in multo lumine revelo miſteria: una vox librorum, ſed non omnes æquè informat, quia intùs ſum doctor veritatis, ſcrutator cordium, diſtribuens ſingulis ſicut dignum judicavero.*

Pergit Vooſſius: *Deus noſter*, inquit, *cùm magnus ſit, & potens, diverſis modis vult ſibi ſerviri: unus enim in Chriſti vulneribus requieſcit, quod eſt ſecurius; alter in ineffabilibus & mirabilibus operibus ejus jubilat, & exultat. Proba autem, frater cariſſime, an hæc internæ inſpirationi tuæ conveniunt.* Et ſimiliter idem admonet Autor lib. de Imitat. Chr. l. 1. c. 19. *Non poſſunt*, inquit, *omnes habere unum exercitium, ſed aliud iſti, aliud illi magis deſervit.* Et lib. 2. c. 1. *Si neſcis ſpeculari alta & cæleſtia, requieſce in Paſſione Chriſti, & in ſacris vulneribus ejus libenter habita.*

*Hinc eſt*, inquit idem Vooſſius, *quòd oportet hominem ſtrenuè cum David clamare, & ad quid vocetur conſiderare, dicendo: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et Autor lib. de Imitat. ſecutus hanc regulam, ex qua in primo & ſecundo libro ſuo penè omnia mutuatus eſt, tertium inſtituit de locutione interna, incipientem ab hac Davidis voce: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

*Si quis tamen*, inquit Joan. de Hueſden, *in his defecerit, hoc Spiritus Sanctus perfectius te docebit, quàm aliquis id te poſſet edocere.* Et Autor lib. de Imitat. ſæpè idem repetit, imprimiſque l. 3. c. 47. ubi inducit magiſtrum ſic alloquentem diſcipulum ſuum: *Ego ſum qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam parvulis tribuo, quàm ab homine poßit edoceri.* Et infrà: *Ego ſum qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcolis.*

Denique idem Joannes de Hueſden, finitâ hac ſuâ de modo proficiendi in Religione Regulâ, additamenti loco hæc duo diſcipulo ſuo diligenter præcipit.

Primum eſt. *Præter hæc*, inquit, *præcepta, frater cariſſime, à me tibi hactenus tradita, interdiu ſemper memineris, ex Divinis & Eccleſiaſticis Officiis aliquid, aut Hymnum videlicet, aut Antiphonam, aut Orationem animo revolvere, quoniam hæc omnia cor hominis mirabiliter illuminant, vanaſque & noxias cogitationes ſæpè multùm interturbantes ſenſim amovent & expellunt.* Atqui hoc exercitium Autori librorum de Imitatione Chriſti familiare admodum fuiſſe evidenter patet; paſſim enim ex Eccleſiaſticis Officiis in ſuum opus multa transfert: nam ut ex pluribus pauca quædam proferam, ſic l. 4. c. 13. n. 2. Antiphonam quæ ad Magnificat in Officio Sacratiſſimi Corporis Chriſti præcinitur, integram habet. *O quàm ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo deſcendente illos reficere dignaris!* Sic eodem lib. 13. habet hunc Verſum ex Officio Sabbati Sancti. *O mira circa nos pietatis tuæ dignatio!* Sic porrò l. 3. c. 55. n. 6. hanc orationem habet: *Tua me, Domine, gratia ſemper præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentum. Per Jeſum*

*Chriſtum Filium tuum amen.* Quâ oratione utitur Eccleſia in Dominica 16. poſt Pentecoſten.

Alterum, quod diligenter diſcipulo ſuo præcipiebat Joannes de Hueſden, ſic habet. *Prandio*, inquit, *facto, cùm tibi vacaverit, alia aſſumes exercitia tibi timorem incutientia. Meditare de omnibus Dei beneficiis, de extremo judicio, de morte, de pœnis inferni, de Paſſione Domini, de peccatis, de regno cælorum.* Atqui Autor lib. de Imitatione Chriſti idem omnino etiam præcipit. Nam lib. 1. c. 20. *Quære*, inquit, *aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita; tales perlege materias, quæ compunctionem præſtant.* Tum in ſequentibus capitibus agit *de morte, de judicio extremo, de pœnis inferni, de Paßione Domini, de peccatis, & de regno cælorum.*

Quibus omnibus tam fusè lateque à nobis explicatis, *factâ* ſcilicet *neceßitate*, ut verbis Auguſtini dicam, *copioſius dicendi res tam claras, velut eas non ſpectantibus, intuendas, ſed quadammodo tangendas palpantibus & conniventibus offeramus.* Si adhuc adverſariorum aliquis librorum de Imitatione Chriſti Autorem diſ-

*Aug. lib. de Civ. Dei 2. c. 10.*

cipulum unum aliquem Joan. de Huesden Canonicorum Regularium Vindesemensium Superioris Generalis extitisse, & ab ejus epistolâ doctrinam suam omnem & sententias mutuatum esse neget, dabit veniam si ipsum ego in eorum habeam numero, quos loco citato describit Augustinus; *Qui nempe irrationabiles motus suos etiam post rationem plenè redditam quanta homini ab homine debetur sive nimiâ cæcitate, qua nec aperta cernuntur, sive obstinatissimâ pervicaciâ, qua & ea quæ cernuntur non feruntur tanquam ipsam rationem veritatemque defendunt.*

Neque enim jam inficiari potest horum alterum ab altero opus suum ex maximâ parte mutuatum esse: non enim aliud nos opinari tanta in utroque præceptorum, doctrinæ ac sententiarum similitudo ac consensio patitur.

Neque etiam potest contendere non autorem librorum de Imitatione Chr. à Joanne de Huesden, sed contrà potiùs Joannem de Huesden ab autore librorum de Imitatione Christi Epistolæ suæ de modo proficiendi in Religione præcepta sumpsisse.


Primò quidem, quoniam nemini prorſus è primis *Devotis*, & tempore quo Epiſtolam hanc ſuam ſcripſit Joannes de Hueſden, id eſt anno circiter 1390 liber de Imitatione Chriſti cognitus fuit, quod ſic facilè demonſtratur: nam apud Thomam Kempenſem in vita Gerardi Magni primi *Devotarum* Congregationum cum Florentio autoris, ipſe Gerardus longum admodùm librorum piorum ſibi familiarium catalogum texit, & nuſquam librorum de Imitatione Chriſti meminit. Similiter Thomas in vitâ Florentii & aliorum primorum *Devotorum*, refert qui libri eſſent ipſis in uſu; & ipſe Florentius in Epiſtolis ſuis, quæ paſſim apud Buſchium leguntur, multos libros pios enumerat, & nullibi librorum de Imitat. Chriſti mentionem facit. Denique Buſchius, qui tot annos in Vindeſem unà cum Joanne de Hueſden, cui imprimis carus erat, vixit, & hortatu ejus *de origine modernæ devotionis, & de viris in Vindeſem illuſtribus*, duos libros edidit, in quibus tam copioſè vitam ipſius Joannis de Hueſden deſcripſit. Qui porrò Regulam hanc ejus qua de agimus, ex Teutonico in Latinum

vertit, refert quidem quinam libri initio conversionis suæ, quo tempore Regulam hanc suam scripsit, illi familiares fuerint, sed nusquam tunc librorum de Imitatione Christi meminit: quod certè nunquam tacuisset, si ex his libris Regulam suam mutuatus esset Joannes de Huesden. Unde hoc? nisi quia nondum extabant; nam nonnisi viginti circiter post hanc Regulam annis editi sunt.

2°. Quoniam Regula hæc Joannis de Huesden de modo proficiendi in Religione, in Congregationibus *Devotorum*, & in Monasteriis Vindesemensibus erat, uti jam suprà diximus, maximè in usu. Unde autor Chron. Vindes. in fine hujus Regulæ ait: *Juxta hunc modum Fratres* Devotarum *Congregationum & Fratres in Vindesem se solent exercere.* Autor autem librorum de Imitatione Christi in singulis suis libris vixisse se & commoratum fuisse in his *Devotorum* Congregationibus & Monasteriis apertissimè testatur, cùm ait l. 1. c. 18. n. 6. *Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs vidisti exempla* Devotorum. Et l. 3. c. 52. n. 4. *In veritate confiteor, Domine, quòd non decet me inter* Devotos *tuos com-*

*morari*. Et l. 4. c. 14. *Quando recordor*, inquit, Devotorum *aliquorum*, *tunc sæpiùs in meipso confundor & erubesco*. Unde certa res est ipsum ex Regulâ Joannis de Huesden, in quo diu & multùm, dum in his Congregationibus & Monasteriis commoraretur, versatus & exercitatus fuerat, trium primorum librorum suorum doctrinam omnem & præcepta desumpsisse.

3°. Denique, quoniam non solùm præcepta Regulæ Joannis de Huesden in suum opus autor librorum de Imitatione Christi derivat, sed, quod rem planè conficit, facta etiam ejus & aliorum quorumdam *Devotorum* tum in Vindesem, tum in monte Sanctæ Agnetis Joanni de Huesden coævorum imitanda, in lib. 4. sibi passim proponit, & eorum exemplo pietatem suam acuit & accendit, quod capite sequenti demonstramus.



CAPUT

## CAPUT VII.

*Quartum de Imitatione Chriſti librum ex ejuſdem Joannis de Hueſden & aliorum* Devotorum *exemplis & dictis ſumptum eſſe.*

TANTA erat nominis Joannis de Hueſden, & aliorum *Devotorum*, ſive in Monaſteriis, ſive in Congregationibus commorantium fama, tanta virtutis eorum opinio, ut quemadmodum libellus Joannis de Hueſden vitæ religiosè inſtituendæ Regula habebatur, ita ipſius & aliorum primorum *Devotorum* vita, morum, & pietatis exemplar perfectum exiſtimaretur: *In ea enim*, ut ait Buſchius, per plures annos horum quæ ſcribit teſtis oculatus, *vera virtus, vera vitæ ſanctitas elucebat.*

Hinc Autor operis de Imitatione Chriſti quemadmodum tres primos ſuos libros ex Joannis de Hueſden epiſtolâ de modo proficiendi in Religione mutuatus eſt, ita & 4. de Sacramento Altaris ac ſacrâ Communione ſcripturus, non aliud ſibi & aliis exemplar perfe-

ctius proponi poſſe exiſtimavit, quàm ſi quæ fuiſſent Joannis de Hueſden & aliorum quorumdam è primis *Devotis* ad ſacram Communionem diſpoſitiones, qui ardentes affectus, quis uſus eorum, quæ denique gratiarum actiones referret, ut iis exemplis ſe & alios ad pietatem & fervorem erga auguſtiſſimum hoc Sacramentum incitaret.

Quæ res ut omnibus palàm fiat, ecce de primorum illorum *Devotorum* ardentibus ad Corpus Chriſti deſideriis & affectibus, ſenſibili cordis amore & fletu, mentalibus exceſſibus, ſupernaturalibus illuminationibus, ac cælicis viſionibus, quædam autor Chronici Vindeſemenſis & Thomas in vitis primorum *Devotorum* narrant, quæ cùm autor librorum de Imitatione Chriſti in quarto ſuo libro, qui de Sacramento Altaris eſt, pariter referat, hæc paſſim laudet, extollat, prædicet, & horum recordatione affectus ſuos ad ſacram Corporis Chriſti participationem accendat, profectò nonniſi horum *Devotorum* tempore vixiſſe ſe, & ab illis doctrinam ſuam omnem mutuatum eſſe apertè declarat.

Audi itaque illum lib. 4. c. 14. cujus titulus eſt, *de quorumdam* Devotorum *ad Corpus Chriſti ardenti deſiderio. O quàm magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Quando recordor* Devotorum *aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc ſæpiùs in meipſo confundor & erubeſco. Quod non ita vehementer ſum attractus, & affectus, ſicut multi* Devoti *fuerunt, qui præ nimio deſiderio Communionis & ſenſibili cordis amore à fletu ſe non poterant continere; ſed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitus inhiabant, ſuam eſuriem non valentes aliter temperare & ſatiare, niſi corpus tuum cum omni jucunditate & ſpirituali aviditate accepiſſent.* Et n. 3. *Licèt tanto deſiderio tam ſpecialium* Devotorum *tuorum non ardeo, tamen de gratiâ tuâ illius magni inflammati deſiderii deſiderium habeo.* Et c. 17. n. 3. *Omnium*, inquit, Devotorum *jubilationes, ardentes affectus, mentales exceſſus, & ſupernaturales illuminationes ac cælicas viſiones tibi offero & exhibeo.* Et c. 9. n. 5. *Offero tibi omnia pia deſideria* Devotorum.

Vis tu, Lector, jam reſcire quorum-

nam *Devotorum* fuerint pia illa & ardentia ad Corpus Christi desideria, quorum illi mentales excessus, quorum lachrimæ & fletus, quorum supernaturales illuminationes ac cælicæ visiones, quinam denique *Devoti* ad Sacramentum Altaris ita medullitus inhiabant, ut suam esuriem aliter temperare non valerent, nisi Corpus Christi cum omni jucunditate & aviditate accepissent, audi quid de primitivis *Devotis*, Florentio inquam, Joanne de Huesden, Willelmo Vorneken, Arnoldo Kalker, Petro de Gouda, Henrico Mandé, & Gerlaco Petri, in vitis eorum Thomas, qui cum illis omnibus diu familiarissimè vixit, & autor Chronici Vindesemensis referant.

De *Devoti* itaque Patris Florentii, qui à Gerardo Magno circa annum 1380. conversus, pater fuit omnium *Devotorum*, ardentibus ad Corpus Christi affectibus hæc refert Thomas in ejus vita c. 3. *Devotus Pater Florentius, dum divina Misteria celebraret, Christus cor ejus & animam spiritualis lætitiæ vino potissimùm replevit, ut omnia interiora ejus divini amoris incendio ferverent, atque in voce*

*exultationis cum Propheta jubilaret, dicens: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Tunc enim intra se totus collectus, & supra se in spiritu raptus, semetipsum Hostiam viventem ac Deo placentem obtulit: in quo sacro Convivio deificam in suo fonte dulcedinem gustans, & præ magnitudine divinæ largitatis amorosè liquefactus, cum magnâ gratiarum actione hæc mistica verba ruminabat: O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!*

Et de *Devoto* Joanne de Huesden, qui anno etiam circiter 1380. à Gerardo Magno conversus, in domo Florentii plures annos egit, à quo posteà in Windesem ductus, sacris Canonicorum initiatus est, & per 33. Superior Generalis ibidem fuit, hæc autor Chron. Vind. l. 2. cap. 12. refert. Devotus, inquit, *frater Joannes de Huesden jussus est ad altiora conscendere, & ad sacros Ordines promoveri. Sed, ô Deus, quot suspiria, singultus & lamenta tam humilis & verecundi fratris! Factus Presbyter, frater Devotus, omnem animæ suæ profectum in hoc sciens consistere, si rem tantam, prout est in veritate, dignè ponderaret, & se-*

*ipſum ſanctum & immaculatum ab hoc ſæculo de cetero conſervaret, ne os ſuum & lingua, quibus Deum in hoc vivifico ſancti Altaris Sacramento frequenter eſſet ſuſcepturus, quicquam loqueretur, in quo Deo diſpliceret; ne digiti illi & manus quibus Verbum Dei incarnatum quotidie contrectaret, facerent omne malum etiam leviſſimum, quo oculos amantiſſimi Patris utcumque poſſet offendere. Ne cor ſuum, in quo Deus de cælo deſcendens, ut Sponſus in thalamo deberet requieſcere, aliquâ malâ actione, pravâ delectatione, immundâve affectione aliquando commacularetur, ſed ut Templum Dei vivi veriſſimum mundiſſimè cuſtodiendo, Sacramenta Chriſti veneranda reverendiſſimè frequentando, in Dei amorem & cognitionem continuè proficeret. Abſtractus igitur à mundo in intima ſua ſolus intravit, ibique Chriſto Domino cœnaculum grande conſtruxit, habitans ſecum in latitudine cæli & cordis ſui ſolitus deambulare, mentemque à terrenis ſuſpenſam Deo & Sanctis ejus in cælo quotidie præſentem exhibebat, claritate aſpectus interioris, & dulcedine affectus divini ſuper omnes hujus mundi delitias valdè delectatus: vidit enim quid ſibi eſſet Deus, quàm bonus & ſuavis ſit animæ quæ-*

*renti eum prægustavit; & quod in patria Sanctis promittitur, à longè conspiciens, in via salutavit.*

Et de *Devoto* Willelmo Vorneken, qui Thomæ nostri per annos 17. Superior in Monasterio Montis Sanctæ Agnetis fuit, & posteà Superior Generalis in Vindesem electus est, hæc idem autor l. 2. cap. 49. refert: *Pater iste Devotus, circa Eucharistiæ venerabile Sacramentum, valdè fuit timoratus.* Et l. 1. c. 33. *Devotus Pater Willelmus Worneken omni modo, & admodùm reverenter & devotè afficiebatur ad venerabile Sacramentum, maximè quando celebrabat.*

Et de *Devoto* Arnoldo Kalker, hæc idem autor l. 2. c. 23. habet. *Hic Devotus Pater frequenter sic afficiebatur, ut futuræ vitæ gaudia præ dulcedine Dei & decore domus ejus, quem dilexit in hac valle miseriæ, sæpiùs prægustare, eumque devotissimè à longè salutare cerneretur; ita ut ejus desiderio fruibilique præsentiâ, & longa dilationis ejus expectatione inter Missarum solemnia, multarum lacrimarum gratiâ eum sæpè perfusum videremus.*

Et de *Devoto* Petro de Gouda, quàm semper ardentes fuerint ejus ad Corpus

Christi affectus, quæ supernaturales illuminationes ejus, colligimus ex eo quod c. 42. refertur. Cùm enim aliquando à Willelmo Vorneken increparetur, quòd non interdum à tantis Christi misteriis abstineret, respondit: *Pater mi, ego quidem in nullâ re mundi ampliùs condelector in hac mortali vitâ, nisi in Deo solo, vivo, vero, æterno, & in hac sanctissimi Corporis & Sanguinis ejus communicatione.* Addit autor Chronici Windes. *Cujus vita virtuosa cum verbis prædictis concordabat, qui secretum suum sibi in cellâ continuè scribendo, & apertis cæcis cordis sui oculis, Dei præsentiam sentiendo, inter Angelos in cellâ suâ secum præsentes, aut eos in cælo contemplando, quotidie conversabatur: tamen pro merito obedientiæ à tantis suis delitiis aliquando posteà se subtraxit affectu & desiderio; conatus perficere, Missam audiendo, quod libenter egisset divina celebrando.*

Et de Henrico Mandé, ac de ardentibus ejus ad Corpus Christi desideriis & cælicis visionibus, hæc referuntur: *Sæpè,* inquit, *Spiritu raptus gloriam Filii Dei & Sanctorum ejus aspexit in cælo, crebrâque revelatione cælestia contemplatus,*

*gloriam cœli & inhabitantium in eo descripsit. Magnæ enim fuit devotionis & extaticæ contemplationis, ut nunquam à lacrimis Missam audiendo se contineret. Flebat autem uberrimè, Dei liquefactus amore, & offensionis suæ timore, præsertim cùm ad Eucharistiæ venerabile Sacramentum erat accessurus, tum totus in lacrimas videbatur resolutus, ut chori pavimentum & corporis indumenta lacrimis inundaret.*

Denique de *Devoto* Gerlaco Petri, & de ardentibus etiam ejus ad Corpus Christi affectibus ac mentalibus excessibus hæc referuntur. *Inter Missarum solemnia*, inquit, *Officiaque divina, sancta illa gaudebat anima de Sponsi sui præsentiâ; fervebat desiderio, ardebat amore, flagrabat affectu, & per mentales excessus etiam corpus suum videbatur sustollere. Gaudens gaudebat in Domino, capere se non valens, præ gaudio de divinæ bonitatis influentiâ, quâ Spiritus abundavit, dicens cum Psalmistâ: Concaluit cor meum intra me.* Item: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!*

Confer jam, Lector, cum iis omnibus ea quæ suprà ex libro 4. operis

de Imitatione Christi retulimus, nempe ex c. 14. cujus titulus est, *De quorumdam* Devotorum *ardenti desiderio ad Corpus Christi*, & cujus initium est, *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quando recordor* Devotorum *aliquorum ad Sacramentum tuum Domine cum maxima devotione & affectu accedentium, tum sæpiùs in meipso confundor.* Confer quod n. 3. ait. *Licèt tanto desiderio tam specialium* Devotorum *tuorum non ardeo, tamen de gratiâ tuâ illius magni desiderii desiderium habeo.* Confer denique quod ait c. 17. *Omnium* Devotorum *jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes, ac cælicas visiones tibi offero, & exhibeo,* facilè profectò deprehendes autorem hunc ad *Devotorum*, quos suprà appellavimus, ardentes ad sacram Communionem affectus & mentales excessus alludere.

Neque verò tantùm *Devotorum* exempla imitanda sibi proponit, sed & consilia ac præcepta eorum circa dispositiones ad hoc Sacramentum necessarias, & circa usum ejus sacræ Communionis planè sequitur.

Nam dispositiones ad sacram Communionem & Sacerdotium quod spectat, jam suprà diximus has Joannem de Huesden præcipuè à se & suis voluisse, ut scilicet quilibet *Devotus* factus Presbyter, rem tantam, prout est, in veritate ponderaret, ut seipsum sanctum ab hoc sæculo & immaculatum de utero conservaret, ne os suum & lingua, quibus Deum in hoc vivifico altaris Sacramento frequenter esset suscepturus, quicquam loqueretur, in quo Deo displiceret, ne digiti illi & manus, quibus Verbum Dei incarnatum quotidie contrectaret, facerent omne malum etiam levissimum, quo oculos amantissimi Patris utcumque posset offendere; ne cor suum, in quo Deus de cælo descendens, ut sponsus in thalamo deberet requiescere, aliquâ malâ affectione commacularetur.

Et autor libri de Sacramento Altaris c. 11. n. 6. easdem dispositiones iisdem verbis requirit. *O quàm Magnum*, inquit, *& honorabile est officium Sacerdotum! O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem to-*

*ties ingreditur autor puritatis. Ex ore Sacerdotis, nil nisi sanctum & utile procedere debet verbum, qui tam sæpè accipit Christi Sacramentum. Oculi ejus simplices & pudici, qui Christi Corpus solent intueri; manus ejus puræ, quæ Creatorem cæli & terræ solent contrectare.*

Addebat Gerlacus Petri ideò semper novâ mentis renovatione ad hæc Sacramenta debere quemlibet *Devotum* sese disponere, propterea quòd *attentè considerandum esset charitatem Christi nunquam minui, sed quali affectu & charitate Dominus noster Jesus Christus incarnari propter nos voluit, quali incomprehensibili affectu seipsum obtulit æterno Patri, in Cruce pro nobis Hostiam sanctam & immaculatam, tali affectu & non minori offerret quotidie seipsum pro nobis, præcipuè in Altari, & quamvis prædicta semel exhibita sunt ad extra; tamen quotidie ita recenter fiunt, sicut quando ad extra ostendebantur, & tali nihilominus affectu à nobis quotidie suscipi deberent, ac si jam in instanti fierent, quæ Dominus noster Jesus ad salutem nostram tempore suo exhibere dignatus est.*

Et ecce etiam autorem nostrum eandem iisdem penè verbis consideratio-

nem addentem c. 2. n. 6. *Charitas*, inquit, *Christi nunquam minuitur, & magnitudo propitiationis ejus nunquam exhauritur: ideò semper novâ mentis renovatione ad hæc te disponere debes, & magnum salutis misterium attentâ consideratione pensare, ita magnum, novum, & jucundum tibi videri debet cùm celebras, aut Missam audis, ut si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in Cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur.*

Usum sacræ Communionis & celebrationis quod spectat, tria *Devoti* imprimis observabant. 1°. ut frequens esset, unde licèt tunc temporis mos is esset in omnibus penè Religiosorum domibus, ut qui Sacerdotes non erant, singulis dumtaxat quindecim diebus sacro Christi Domini Corpori participarent, ita tamen ut propter festa solemniora Communio anticipari, vel differri posset: qui verò Sacerdotes erant, singulis diebus non celebrarent. Tamen Joannes de Huesden, ut frequentiùs *Devoti*, nisi legitimè præpediti essent, sacro Christi Corpori participarent, præcipiebat, propterea quòd hoc utile ad-

modùm esset, & multa bona devotè communicantibus præstarentur. *Vellem*, inquit in libello suo, *si esset possibile, ut post hujusmodi exercitia, cum Superiorum tuorum consensu semper ad octo dies communicares, quia sic mirabilem gratiam, & specialem acciperes fortitudinem contra omnes inimici tentationes, & ego sperarem id Deo valdè acceptum.* Unde & frequentis Communionis uti & multorum aliorum sanctissimorum exercitiorum *Devoti* non immeritò autores habiti sunt.

Et ecce similiter autor lib. de Sacramento Altaris multis capitibus idem præcipit, & docet c. 3. cujus titulus, *Quòd utile sit sæpiùs communicare.* Cap. 14. *Quòd multa bona præstantur devotè communicantibus.* Cap. 10. *Frequenter*, inquit, *recurrendum est ad fontem gratiæ & divinæ misericordiæ, quatenus contra universas tentationes & fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis.*

2°. Interdum tamen à sacrâ Communione & Missarum celebratione abstinendum esse volebant, reverentiæ causâ: unde Buschius de Joanne de Huesden c. 14. hæc refert. *Licèt ita sæpè aliquando celebraret, ut hinc mirarentur sui,*

*quòd ſæpiùs reverentiæ causâ non abſtineret, per humilem tamen aliquando vel ſemel in hebdomadâ ab hujuſmodi myſteriis divinis ſubſtractionem quaſi mente renovatus vehementiori deſiderio ad eorum celebrationem peragendam ardentiùs iterùm inflammabatur.* Et de Willelmo Vorneken Thomæ noſtri per 17. annos Superiore, hæc idem autor refert. *Licèt omnium religioſorum exercitiorum finem eſſe ſæpiùs diceret, guſtare & videre in Sacramento Altaris quàm ſuavis eſt Dominus, tamen ipſe nunquam continuè celebrare præſumpſit, nec fratres ſuos in hoc eſſe quotidianos unquam ſibi complacuit, quin & eos propterea notabat.* Unde, ut ſuprà vidimus, increpavit Petrum de Gouda, quòd interdùm à celebratione non abſtineret, *qui,* inquit Buſchius, *pro merito obedientiæ à tantis delitiis ſuis aliquando poſteà ſe ſubſtraxit.* L. 2. c. 49.

Et ecce autor lib. de Sacram. Altaris capite citato, iſtud etiam approbat: *Quàm felix ille eſſet, & Deo acceptus, qui ſic vivit, & in tali puritate conſcientiam cuſtodit, ut etiam omni die communicare paratus ſit, & benè affectatus eſſet, ſi ei liceret, & ſine notâ agere poſſet: ſi quis tamen inter-*

*dùm abſtinet, humilitatis gratiâ, aut legitimâ impediente causâ, laudandus eſt de reverentiâ.*

3°. Denique hoc *Devotus* quilibet à Gerardo Magno conſilium acceperat, ut ſi legitimè præpeditus ſacramentaliter Corpus Chriſti non ſumeret, ſaltem ſpiritualiter paſſionem ejus devotè animo revolvens, quotidie manducaret. Unde & de Petro de Gouda additur: *Affectu & deſiderio conabatur perficere Miſſam audiendo quod libenter egiſſet divina celebrando.*

Et ecce autorem lib. de Imit. Chr. illud idem capite citato conſulentem. *Cùm verò*, inquit, *legitimè præpeditus eſt* Devotus, *habebit ſemper bonam intentionem communicandi, & ſic non carebit fructu Sacramenti. Poteſt enim quilibet* Devotus *omni die ad ſpiritualem Chriſti Communionem & ſine prohibitione accedere, & tamen certis diebus, & ſtatuto tempore Corpus ſui Redemptoris cum affectuosâ reverentiâ ſacramentaliter debet ſuſcipere : nam toties miſticè communicat, quoties Incarnationis Chriſti miſterium Paſſionemque devotè recolit, & in amore ejus accenditur.*

Atque jam ex his omnibus habes, Lector,

Lector, quod initio diximus, 4. de Imitatione Christi librum uti & tres priores ex exemplis & dictis *Devotorum* sumptum esse. Habes autorem illorum librorum fuisse haud dubiè Canonicum aliquem Regularem Capituli Vindesemensis, cùm de seipso jam habitum religionis induto disertè dicat, quod nunquam satis ad rem nostram inculcari potest, *Non sum dignus inter* Devotos *commorari l. 3. c. 42.* quod unis & solis Canonicis Vindesemensibus convenire suprà ostendimus; immò habes Canonicum hunc Regularem haud dubiè non alium esse à Thoma Kempensi, qui cum omnibus *Devotis* suprà enumeratis, sive in domo Florentii, sive in Vindesem, sive in monte Sanctæ Agnetis, diu quàm familiarissimè vixit, ut ipse de seipso narrat in vita Joannis Gronde c. 1. *Cùm igitur,* inquit, *studii causâ in annis adolescentiæ Daventriam pervenissem, quæsivi iter pergendi ad Regulares in Vindesem, ibique inventis fratribus Canonicis Regularibus cum Germano meo, hortatu illius inductus sum adire summæ reverentiæ virum magistrum Florentium. Adjunctus tam devoto viro &* Devotis *ejus*

*fratribus, quotidie devotam eorum conversationem attendi nunquam priùs tales homines vidi tam devotos.* Quæ omnino sanè conveniunt cum his verbis autoris de Imit. Chr. l. 1. *Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpè vidisti exempla* Devotorum. Et l. 4. *Quando recordor* Devotorum, *tunc in me erubesco.* Sed hoc posterius, nempe Canonicum hunc Regularem non alium esse à Thoma Kempensi, ex omnibus vitæ Thomæ ipsius circumstantiis (simul utique non seorsim & separatim sumptis) collatisque cum circumstantiis vitæ autoris lib. de Imit. Christi, quantùm ex ipso ejus opere erui possunt, in sequenti ultimo capite fusiùs ostendimus.

## CAPUT ULTIMUM.

*Vitam, mores, ingenium, eruditionem, stilum, & ætatem auctoris librorum de Imitatione Christi, à Thoma Kempensi perfectissimè referri.*

REM in præsentiâ demonstratu quidem facillimam aggredimur: sed quâ tamen momentum & pondus argu-

mentorum hactenus à nobis pro causa Kempensi congestorum vehementer augescit, nisi si potiùs hac cumulatissimè tandem compleatur. Autorem itaque librorum de Imitatione Christi à Thoma de Kempis, vitâ, moribus, ingenio, stilo, notis denique suis omnibus & indiciis perfectissimè referri contendimus; & verò sic palàm & in oculis omnium, ut appareat, efficimus.

*Comparatur vita Thomæ Kempensis cum vita Autoris librorum de Imitatione Christi.*

Nam vitam quod spectat Thomæ, sic vita erat. Oriundus anno 1380. Kempis, quod permodicum est in agro & Diœcesi Coloniensi oppidum, unde ei cognomen posthac adhæsit. Parentes habuit, si sæculum spectes, nullo quidem generis splendore, nullâ divitiarum opulentiâ conspicuos, sed pauperes, humiles, atque huic mundo despectos. Exactâ sub parentum oculis ætate primâ, Daventriam Belgarum tunc temporis Athenæum, studiorum causâ venit; & ibi per septennium inter *Devotos* commoratus, demùm à Florentio ad montis Sanctæ Agnetis propè Zwollis Canonicorum Regularium Monasterium missus est, ut ipse Thomas narrat in Chronico suo: *Anno*, inquit, *1399. veni lætus*

*ad montem Sanctæ Agnetis, fecique instantiam pro mansione in eodem loco, & fui misericorditer acceptatus.*

Atqui eadem omnia de seipso innuit Auctor librorum de Imitatione Christi, ac primò Flandriâ se oriundum tot Flandricis vocibus ac phrasibus, quas passim usurpat, palàm, ut suprà vidimus, indicat. 2°. Parentibus ortum se pauperibus prædicat. Lib. 3. c. 22. cùm de seipso loquens, *Domine Deus*, inquit, *pro magno reputo beneficio non multa habere, unde exteriùs & secundùm homines laus & gloria apparet, quia tu Deus pauperes & humiles, atque huic mundo despectos tibi elegisti in familiares & domesticos.* 3°. Inter *Devotos* habitasse se declarat, cùm lib. 1. c. 18. *Utinam in te non dormiret profectus virtutum, qui multa sæpiùs vidisti exempla* Devotorum. Tum l. 3. c. 52. n. 4. cùm ait: *In veritate confiteor, quòd non decet me inter* Devotos *commorari.* Denique de ingressu suo in Monasterium ac vitæ religiosæ professione eodem penè modo atque Thomas loquitur l. 3. c. 10. *Quid retribuam*, inquit, *tibi, Domine, pro gratiâ istâ? Magnum mihi & mirandum apparet, quòd tam pauperem*

P. 1. c. 4.

*& indignum dignaris in servum recipere, & dilectis servis tuis adunare.*

Sic mores erant Thomæ. *In principio conversionis suæ sustinuit,* inquit Continuator Chron. Montis Sanctæ Agnetis, *ab exordio Monasterii magnam penuriam, tentationes & labores: fuit etiam multùm amorosus in vitâ & passione Domini, & mirè consolativus tribulatis & afflictis.* Cellæ tanquam dilectæ sibi amicæ, lectionis sacrorum Codicum velut unici solatii sui, sine quibus erat illi vita admodùm intolerabilis; denique Christi Jesu tam ardenter, & ut ita dicam familiariter amans erat, ut hoc ejus esset simbolum: *In omnibus requiem quæsivi, & nusquam inveni nisi in angello, & cum libello,* vel ut alii referunt, *nisi in Cellâ, Codice, Christo,* hoc sæpiùs ore proferebat, hoc libris suis inscribebat, narratque Franciscus Tolensis vidisse se Zwollis in tabulâ aliquâ effigiem ejus admodùm antiquam cum hoc simbolo depictam.

*Comparantur mores utriusque.*

Atqui sic omnino etiam mores suos fuisse autor librorum de Imitatione Christi passim testatur. Ac primò labores & tentationes quod attinet, lib. 3. c. 5.

*Pauper sum*, inquit, *& in laboribus à juventute meâ, & contristatur anima mea nonnunquam usque ad lacrimas, quandoque etiam conturbatur ad se propter imminentes passiones.* Et n. 5. *Gratias tibi ago, Domine, quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me verberibus multis amaris, insligens dolores, & immittens angustias foris & intus.* Et lib. 4. c. 4. n. 5. *Ego laboro in sudore vultus mei, tentationibus inquietor, & multis malis passionibus implicor.* Quantùm verò Vitæ & Passionis Christi Domini studiosus fuerit, patet ex his ejus verbis l. 3. c. 56. n. 3. *Exerceatur*, inquit, *servus tuus in vitâ tuâ, quia ibi est salus mea & sanctitas vera; quidquid extra eam lego, vel audio, non me recreat, vel delectat plenè.* 3°. Quantùm tentatis & afflictis consolandis valeret, cùm ex multis liquet, tum ex eo quod ait de seipso loquens lib. eodem cap. sequenti: *Benè etiam consulis, & alios nosti roborare verbis.* 4°. Quantùm amans esset cellæ suæ in principio conversionis, liquet ex l. 1. c. 20. cujus hic est titulus, *De amore solitudinis & silentii: Si in principio*, inquit, *conversionis tuæ benè cellam incolueris, & custodieris, erit tibi posteà*

*dilecta amica.* 5°. Sacrorum Codicum quàm ſtudioſus eſſet, cùm ex multis conſtat, tum ex lib. 4. c. 11. cùm ait: *Habeo etiam libros ſanctos pro ſolatio & vitæ ſpeculo, ſine quibus mihi inſupportabilis foret iſta miſerabilis vita.* Denique quàm familiariter amans eſſet Jeſu, patet ex l. 2. c. 8. cui titulus eſt, *de familiari amicitia Jeſu.* Et l. 3. c. 21. &c.

*Comparatur Thomæ ingenium cum ingenio Autoris librorum de Imitatione Chriſti.*

Sic Thomæ erat ingenium, ut Trithemius, Franciſcus Tolenſis, & Roſveidus referunt in ejus vita, *præſtans nempe*, ita tamen ut ejus ſermo omnis de Deo eſſet & ſacrâ ſcripturâ, ac coram divitibus ac magnatibus viris, cùm præſens aderat, ſi forenſia, aut mundana agitarentur, continuò, inquiunt, Thomas velut mutus ac elinguis ſedebat, nec reſpondebat, ne rogatus quidem, niſi inſigni alicujus rei commoditate illectus, quaſi ignarus rerum omnium de quibus commentabantur. Porrò ſi de Deo rebuſque cæleſtibus haberetur ſermo, mox poſtulatus ſententiam, velut limpidiſſimus fons perpetuis verborum rivulis ſcaturiens loquebatur, aut potiùs profluebat; eâ enim dicendi facultate facilitateque pollebat, ut com-

plures ſæpenumero ex urbibus lociſque remotioribus fama ejus exciret, & certatim ad montem Sanctæ Agnetis confluerent, quos cum audiendi cupido incesserat.

Atqui iſtum hunc ipſiſſimum fuiſſe ingenii ſui characterem autor librorum de Imitatione Chriſti palàm profitetur, cùm initio operis ſui lib. 1. cap. 9. ait: *Cum divitibus noli blandiri, & coram magnatibus non libenter appareas; cum humilibus & ſimplicibus, cum devotis & morigeratis ſociare, & quæ ædificationis ſunt pertracta;* quod & capite ſequenti repetit: *Caveas*, inquit, *tumultum hominum, quantùm potes; multùm enim impedit tractatus ſæcularium geſtorum: citò enim inquinamur vanitate, & captivamur; ſi loqui licet & expedit, quæ ædificabilia ſunt, loquere.* Quantâ verò, quàm promptâ ſimul ac ſanâ eloquentiâ ac dicendi facilitate autor ille profluat, in explicandis ac perſuadendis rebus divinis, nemo, opinor, à me expectat ut oſtendam. An non enim certatim ad hoc opus legendum boni omnes concurrunt, quemadmodum olim omnes undequaque audiendi Thomæ gratiâ ad montem San-

ctæ Agnetis confluebant? An non libros ejus, uti de Paulini epistolis, dicebat olim Augustinus: *Quotquot legunt, rapiunt, quia rapiuntur, cùm legunt? quid enim amoris sanctissimi spirant? quantam opulentiam sinceri cordis exæstuant? quas agunt gratias Deo? quas impetrant à Deo? Blandiores sunt, an ardentiores? luminosiores, an fæcundiores?*

Sic erant Thomæ studia primis vitæ suæ annis, ut Trithemius, Franciscus Tolensis, & Rosveidus referunt. Erat Scripturarum Divinarum imprimis studiosus, & in his admodùm eruditus; in operibus etiam divi Bernardi egregiè versatus erat: amabat insuper Divinorum & Ecclesiasticorum Officiorum libros; unde & supersunt, inquiunt, etiamnum universa Biblia in quatuor tomos dispertita, ingens prætereà liber Missarum & Sancti Bernardi Opuscula præcellenti arte & industriâ manu Thomæ descripta. Denique in libello seu Regulâ Joannis Voossii de Huesden, multùm & sæpè versatus erat, in eâ enim tum toto septennio, quo Daventriæ consuetudine Florentii & *Devotorum* usus est; tum altero illo septennio, quo

*Comparantur utriusque studia.*

inter Clericos & Novitios in monte Sanctæ Agnetis meruit, diligentissimè se exercuerat, immò diu cum Joanne de Huesden, Willelmo Vorneken, Petro Gerlaci, cæterisque in Windesem præcipuis *Devotis* quàm familiariter vixerat.

Atqui hoc etiam autoris librorum de Imitatione Christi studium fuisse patet ex eo quòd nihil prorsus in quatuor libris suis habet, ut suprà demonstravimus, quod totum ex his quatuor fontibus, Scripturâ, inquam, Bernardo, Regulâ Joannis de Huesden, & exemplis *Devotorum* in Windesem & monte Sanctæ Agnetis haustum non sit.

*Comparatur stilus Kempensis cum stilo Autoris librorum de Imitatione.*

Stilum verò quod attinet, is tribus quibus constat facilè dignoscitur. Imprimis scribentis in tractandis ac repræsentandis rebus ingenio ac modo, certoque quodam animi charactere, qui in diversis ferè diversus est: ut enim norunt omnes, est in ingeniis incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè quàm corporum sunt formæ: unde tantùm inter se distant autores, ut nemo sit alteri similis. Is autem erat Thomæ in scribendo modus

& ingenii character, animi ſcilicet nitidi & candidi, & quodammodo præ ſe ferentis in ſcribendo & dicendo nobilitatem quandam, innocentis ſimul & pietate ferventis, Deo quàm maximè familiaris, mundi ac pomparum ejus hoſtis, ſolitudinis, ſilentii, ad interiora reditus, Crucis denique unicè amantis. Qui res ipſas ſic tractet, ac deſcribat, quaſi præſentes agantur; qui frequenter exhortetur per hanc particulam, *Eia*; exclamet per *O quando*; abundet his ſuſpiriis, *O quanta*, *O Domine*; deteſtetur & queratur per *proh dolor*; *O Ch. teporis*; denique autores haud aliter citet, quàm dicendo *quidam*, quod videre eſt maximè in *Soliloquio animæ*, in *Tribus tabern.* in *Hortulo Roſ.* & *Serm. ad Novitios*, &c.

Atqui hanc etiam eſſe autoris librorum de Imitatione Chriſti in ſcribendo ingenii & animi formam, qui non videt, haud ſcio, an idem in meridianâ luce quidquam videat.

2°. Ad ſtilum etiam pertinet propria certarum quarumdam ſententiarum ac peculiarium apophtegmatum uſurpatio: ſic enim olim Cæſar, cujus peracre judicium erat, cùm volumina jam confe-

ciſſet apophtegmatum, ſi quid afferretur ad eum pro Cicerone, quod Ciceronis non eſſet, ſtatim dignoſcere conſueverat. Nonnulla ex Thomæ familiaribus libet exſcribere, & cum autore librorum de Imitatione Chriſti comparare.

Thomas Opuſculo 12. ſeu canticis ſpiritualibus.

*Vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi.*

Et autor oper. de Imit. Chr. lib. 3. cap. 56.

*Verè vita boni Monachi Crux eſt, ſed Dux Paradiſi.*

Thomas Soliloq. animæ cap. 12. *Quocumque te vertere diſponis, dolores ſemper invenies, niſi fueris ad Creatorem converſus.*

Autor oper. de Imit. Chr. l. 1. c. 22. n. 1. *Miſer es, quocumque te verteris, niſi ad Deum te convertas.*

Thomas de Diſcip. Clauſt. c. 11. *Sæpè putatur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas.*

Autor Oper. de Imitat. Chriſti: *Sæpè videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas.* Lib. 1. c. 15. n. 2.

Thomas: *Christus multos habet amatores & sodales mensæ, sed paucos sectatores abstinentiæ.* Hort. Rof. c. 7.

Autor oper. de Imitat. Christi: *Habet Jesus plures socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.* Lib. 2. c. 11. n. 1.

Thomas: *Tota vita Christi Crux fuit & Martyrium.* In Cant. spir. c. 8.

Autor oper. de Imitat. Christi: *Tota vita Christi Crux fuit & Martyrium.* Lib. 2. c. 12. n. 7.

Thomas: *Est maxima consolatio animæ religiosæ dicere cum beata Agatha, Mens mea solidata est, & in Christo fundata, ideò non curo hæc ima.* De sil. c. 36.

Autor oper. de Imitatione Christi: *O quàm benè sapuit sancta illa anima, quæ dixit, Mens mea solidata est, & in Christo fundata! si ita mecum foret, non tam facilè timor humanus me sollicitaret.*

3°. In autoribus præsertim asceticis, qui, ut cum Augustino dicam, morum vitia quàm verborum ampliùs devitant, & cordi casto linguam exercitatam conferre non audent. Ad stilum maximè pertinet propria quædam nationibus suis vocum ac phrasium peregrinitas, quâ eorum ferè perspergi-

tur omnis oratio. Thomas autem, cùm Kempis, quod agri Colonienſis eſt oppidum, oriundus eſſet, Flandriciſmis, ut diximus, & Teutoniſmis abundat.

Atqui iiſdem etiam autorem librorum de Imitatione Chriſti abundare ſuprà demonſtravimus.

*Confertur ætas quâ ſcripſiſſe fertur Thomas Kempenſis cum ætate quâ erat Autor lib. de Imit. Chriſti cùm eos ſcripſit.*

Denique quod ſpectat ætatem, qui de Thoma Kempenſi & operibus ejus ſcripſerunt autores, in hoc plerique omnes conveniunt, libros de Imitatione Chriſti ipſum, cùm admodum adoleſcens eſſet, ſeu non multò poſt emiſſam profeſſionem, & primis converſionis ſuæ vitæque religioſæ annis compoſuiſſe. Iſtud ipſum innuit Trithemius, cùm libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ait, Thomam anno 1410. claruiſſe, quo tempore agebat is annum ætatis ſuæ circiter trigeſimum. Guillelmus Eiſingrenius in Catalogo teſtium veritatis refert Thomam ad annum 1407. quo tempore erat 27. annorum. Spondanus in auctuario ſuo, & Jacobus Gordonus annum aſſignant 1412. quo tempore agebat Thomas annos 32. Heſerus parte 1. Diopt. in fine, ait clarum ſibi vi-

deri circa annum 1410. primum, ſecundum, & tertium de Imitatione Chriſti librum jam perfectum fuiſſe; quartum acceſſiſſe cùm Thomas initiatus eſt Sacerdotio, id eſt, tres primos libros ſcripſiſſe cùm 30. annorum eſſet Thomas; quartum verò anno circiter ætatis ſuæ 32. aut 34. ſcripſiſſe : quam ſententiam ſecutus eſt Fronto noſter in argumento à *Devotis* ſumpto. Neque diſſentiunt Sommalius & Roſveidus, cùm aiunt Codicem Antuerpianum anni 1441. ita eſſe Thomæ Autographum, ut tamen primus non ſit : quibus ego lubens etiam aſſentior.

Sic nempe mos erat *Devotorum* & Canonicorum Windeſemenſium, ut jam ſuprà diximus, ut primis converſionis ſuæ annis, otio malorum omnium fonti nunquam indulgentes, vel ſacris libris lectitandis, vel in communem uſum deſcribendis, vel ingenio ſuo componendis incumberent.

Sic ut plures alios omittam, Gerardus de Zutphaniâ, unus ex primis *Devotis*, initio converſionis ſuæ & ætatis ſuæ anno circiter 22 librum ſuum *Beatus vir*, qui extat in Bibliot. PP. compoſuit. Is

enim obiit anno 1398. & ætatis 31. Citatur tamen liber ejus à Joanne de Huesden in Regulâ suâ, quam anno 1389. edidit.

Sic & ipse Joannes de Huesden libellum suum altero, aut etiam primo conversionis suæ anno & ætatis suæ 26. aut 27. divulgavit.

Sic Gerlacus Petri, ut refert Buschius, libros plures, cùm admodùm adolescens esset, & adhuc inter Clericos in Windesem versaretur, necdum Religionis habitum indutus, composuit; & cùm sacris Canonicorum Regularium initiatus fuit, plures etiam alios scripsit. Obiit tamen is anno 1411. & ætatis suæ circiter 30.

Sic denique Mauburnus admodùm etiam juvenis, ut refert Trithemius, libros plures, quos tamen Possevinus reliquis Asceticorum operibus longè præfert, composuit.

Atqui autor operis de Imitatione Christi disertè etiam innuit se hos libros non multò post emissam professionem, & tum cùm adhuc sub Præpositi ac Prelati dominio ac disciplina exerceretur, composuisse; non autem cùm


canâ

canâ ſenectute & amplâ Abbatis dignitate venerandus eſſet, ut ſomniant adverſarii, in quo quidem autoris hujus ac libelli (ſi dici patiuntur) prorſus ignaros ſe probant, aut immemores. Nam ut de plurimis locis, in quibus autor ipſe apertè indicat, ſe tres primos libros ſcripſiſſe, cùm adhuc ſub aliorum eſſet dominio, quartum verò ſtatim atque Sacerdotio initiatus eſt, paucos ſeligamus. Quid hac in re clarius eſt verbis l. 3. c. 32. ubi ipſum alloquens Dominus: *Utinam*, inquit, *ſic tecum eſſet, & ad hoc perveniſſet, ut ad nutum meum purè ſtares, & ejus quem tibi præpoſui patris*. Et c. 49. ejuſdem libri: *Quia non audes*, inquit ipſi Dominus, *reſiſtere altiori poteſtati ſub dominio conſtitutus, ideò durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare*. Quartum denique librum, qui eſt de Sacramento Altaris, ſtatim ac Sacerdotio initiatus eſt, ipſum ſcripſiſſe fidem facit c. 5. ejuſdem libri, in quo de ſeipſo autor loquens, *Attende tibi*, inquit, *& vide cujus miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manus Epiſcopi. Ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus. Vide nunc ut fideliter & devo-*

*tè in suo tempore Deo sacrificium offeras, & teipsum irreprehensibilem exhibeas*, fidem facit. Et c. 6. in quo orat sibi aliquod adeo breve exercitium tradi, quo deinceps inter celebrandum uteretur. *Tu doce me*, inquit, *Domine, viam rectam. Propone breve aliquod exercitium sacræ communioni congruum. Utile est enim scire qualiter tibi præparare debeam cor meum ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & divinum sacrificium.*

Quibus omnibus hactenus propositis argumentis, si quis adhuc Thomam de Kempis verum ac legitimum librorum de Imitatione Christi autorem esse neget, cùm tamen jam clarè videat opus istud ipsi trium penè sæculorum sibimet succedentium contestatione continuâ, ab omnibus autoribus coævis, suppari- bus & recentibus adscribi; suffragari editiones ferè omnes quotquot abhinc ducentis retrò annis innumeræ propemodùm per universam Europam divulgatæ sunt; M. SS. Codices benè multos adstipulari; patriam denique autoris, tempus, vitæ institutum, doctrinam, stilum, ætatem, reliquasque om-

nes quæ ex ipſo libello eruuntur circumſtantias in ipſum mirificè & ſingulariter convenire. Et contrà pertinaciter contendat virum omnibus retrò ſæculis incognitum, Joannem ſcilicet neſcio quem Gerſenem de Canabaco, vel de Cavagliâ, ut aiunt, qui anno 1220. vixiſſe fingitur, horum librorum autorem eſſe, hoc dumtaxat jam cum Auguſtino repono: *Dicant iſta, qui auſi fuerint; audiant qui voluerint; credant qui potuerint: ego autem puto, quòd omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſententiæ pertinacia, hoc ſentire non poſſunt.* *Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 36.*





# PARS SECUNDA.

## DISCUTIUNTUR ARGUMENTA quibus utitur Delfavius ut probet Thomam de Kempis non eſſe librorum de Imitatione Chriſti autorem.

---

## CAPUT I.

*AN LIBER DE IMITATIONE Chriſti Doctoribus Angelicis, Bonaventuræ ac Thomæ familiaris fuerit, adeoque Thomâ Kempenſi antiquior.*

PRofectò quantò magis magiſque cogito, haud quaquam mente ſatis aſſequi poſſum, quì factum ſit, ut tam mobiliter ferventerque anno proximè elapſo ad renovandam jamdiu ſolemniter dijudicatam de autore librorum de Imitatione Chriſti controverſiam, animum appulerit Delfavius, libellumque iſtum ſuum, quo non Thomam Kempenſem, ſed Joannem neſcio quem Gerſenem aurei illius operis auto-

rem esse post Caïetanum, Walgravium, & Quadrimarium contendit; tantâ tamque magnificâ ostentatione ac jactatione semel & iterum evulgare gestierit. Dicam enim, non reverens bonorum ac eruditorum reprehensionem, nihil ab illo in hoc famæ suæ ingressu fieri potuit inconsideratius; publicum enim hoc pacto testimonium quæsiisse videtur, quàm nullius hac in parte eruditionis esset ac diligentiæ in pernoscendis examinandisque rebus iis de quibus tamen ipso milite, ut aiunt, glorioso gloriosius loqueretur ac scriberet.

Equidem diu est quod istud palàm ante oculos omnium à me factum esset, exiguam enim admodùm res ista operam exigebat, sed invitus, fateor, ad eam semper accessi: nam si quisquam est qui placere se studeat bonis quamplurimis, & minimè multos amet lædere, in iis ego certè nomen profiteor meum. Quare diu sum animo reluctatus, donec quotidiano penè amicorum convicio, qui istud ipsum ut facerem, efflagitabant; tandem victus, quod imponebatur oneris, utcumque spontè suscepi.

Itaque jam breviter quinque aut ſex ſequentibus capitibus, in quibus ordinem ab illo inſtitutum, quoad fieri poterit, tenebo, ita tamen ut à noſtro etiam non multùm recedam, palàm omnibus facere tentabo: in tot tamque magnificis verbis & argumentis, quibus toto ſuo libello adverſus Thomam Kempenſem depugnat Delfavius, veritatem, eruditionem, conſtantiam in dictis, uti & prudentiam ejus multùm deſiderari.

Initio igitur libelli ſui aſſerit librum de Imitatione Chriſti Doctoribus Angelicis Bonaventuræ ac Thomæ familiarem fuiſſe, adeoque Thoma Kempenſi centum & ampliùs annis antiquiorem. Nota enim res eſt, inquit, beatum Bonaventuram, qui cælos petiit anno 1273. aut 74. octo ſupra centum annis ante natum terris Kempenſem Collatione 7. ad Novitios librum de Imitatione Chriſti his verbis laudaſſe, ut patet in devoto libello de Imitatione. Quì igitur Thomas poterit eſſe atque haberi autor Opuſculi à Doctore Seraphico tot ante annos laudati?

*Diſſert. parte 1. ſect. 2.*

Neſcio quomodo ſemper errare ma-

lunt adverſarii, eamque ſententiam, quam ſemel temerè adamarunt, pugnaciſſimè defendere, quàm ſine pertinaciâ quid veriſſimè & conſtantiſſimè dicatur exquirere, etiam ubi iſtud facillimè fieri poteſt. Quid enim magnum erat ex multis indiciis deprehendere iſtud quod adeo *notum eſſe* vult Delfavius, nempe has collationes eſſe Divi Bonaventuræ, dubium admodùm, immò & evidenter eſſe falſum.

Dubium, inquam, unde & doctiſſimus Lanoïus in diſſertatione ſuâ de autore librorum de Imitatione Chriſti: *Utrum verò*, inquit, *ad Bonaventuram illæ collationes pertineant, donec antiquius adhuc & certius teſtimonium repererim, propter Ubertini citationem, dubitare me non negabo.*

Et certè, qui primus omnium Collationes has Divo Bonaventuræ tribuit, is fuit Marianus Florentinus. Atqui magnâ illum negligentiâ & inſcitiâ in recenſendis Seraphici illius Doctoris operibus uſum fuiſſe nemo non facilè videt. 1° enim non coram ſe habebat opera Bonaventuræ cùm ea recenſeret, immò nec unquam fortè legerat, ut

paret ex eo quod nescire se testatur, quod sit initium præcipuorum quorumque operum quorum indicem texit. 2°. Innumera prætermittit opuscula, quæ haud dubiè sunt Bonaventuræ, cujusmodi sunt *91. Collationes*, in gratiam juniorum, *Speculum animæ*, *Epistolæ*, &c. 3°. Unum & idem opus bis in Indice suo sub vario nomine sæpè recenset, tanquam si duo forent diversa opera. 4°. Librorum initia alio sæpè modo refert quàm quo reverà sunt. 5°. Multa tribuit Bonaventuræ, quæ non sunt ejus: nam ut omittam, *Misticam Theologiam, Compendium veritatis Scripturæ, seu Bibliam pauperum, de puritate conscientiæ, de sex aliis Cherubim, & de speculo disciplinæ*; de quibus dubitatur an sint Bonaventuræ, certè *Alphabetum Monachi*, quod illi à Mariano tribuitur, non est ejus, sed Thomæ Kempensis.

Causam erroris in Collationibus recensendis hanc fuisse Mariano crediderim, quod fortè fando audierat, aut legerat Divum Bonaventuram Collationes quasdam ad juniores & Novitios composuisse, quod verissimum est: sed Marianus, qui hoc opus nunquam vide-

rat, Collationes 7. seu potiùs centonem nescio quem indignum prorsus Divo Bonaventuræ in Bibliotheca aliqua nactus ei tribuit, & egregium aliud opus Collationum 91. quæ verè sunt Seraphici illius Doctoris prætermisit. Idem & peccavit in Alphabeto Monachi; nam quod erat Thomæ Kempensis, asseruit Bonaventuræ, & quod Bonaventuræ vulgò tribuitur, omisit.

Verùm has de quibus controvertitur Collationes Bonaventuræ nullo modo tribuendas esse, & hoc quod *notum esse* vult Delfavius, non dubium modò, sed & prorsus falsum, duplici ratione facilè demonstratur.

1°. enim harum Collationum prima tota quanta est, ex Ubertini libro, cui titulus, *Arbor crucifixæ vitæ Jesu*, desumpta est, immò & in eâ nomen Ubertini citatur. Atqui librum hunc Ubertinum non inchoasse ac perfecisse, nisi anno 1305. Ubertinus ipse in primo prologo testatur his verbis: *Mense Septembri terminavi in vigilia Michaelis Archangeli anni præsentis 1305. à felicissimo ortu veri solis Jesu, à meâ verò vili conversione anno 52. & à die 9. Martii in Quadragesimâ, in*

*Festo 40. Martyrum incoatus est iste liber.* Quì igitur ex hoc libro potuit Collationem unam concinnare D. Bonaventura, qui obiit anno 1273. aut 1274. id est penè triginta antè annis quàm librum suum inchoasset Ubertinus?

2°. In his Collationibus frequentissimè citatur Sanctus Climacus: atqui ante annum 1300. aut fortè etiam multò seriùs asceticis ac scholasticis opera illius fuisse cognita posse demonstrari non facilè existimaverim. Certè Magistro Sententiarum, Magistro de Hales, Guillelmo Parisiensi, Hugoni à Sancto Victore, Richardo, Bernardo, Alberto, Thomæ, Bonaventuræ, si excipias has Collationes, & unum aut alterum opusculum, quod ipsi falsò etiam attribuitur, cognita fuisse nusquam apparet. Unde Matthæus Raderus in Isagoge suâ ad Scalam Sancti Climaci tradit, primum omnium interpretum Climaci fuisse Angelum de Cingulo è Sancti Francisci contubernio, Patrum Clarenorum conditorem, qui sub annum Christi 1294. florebat. Et Lucas Wadingus ad annum 1289. *Frater*, inquit, *Angelus Clarenus de Cingulo divinitus edo-*

*ctus, idioma Græcum in nocte Nativitatis Domini sub anno 1300. plures elucubrationes latinitate donavit, præsertim unum & alterum opusculum Joannis Climaci.* Crediderimque autorem Collationum quæ habentur in Divo Bonaventurâ, hac Clareni versione usum fuisse, quamquam istud non multùm affirmo. Sed ad id inducor, propthereà quod versio Clareni obscura, verbum è verbo reddens, & non ex genio Latinæ linguæ dicatur: quæ certè omnia in eam versionem quâ usus est autor Collationum de quibus agimus, mirificè conveniunt.

Nec est quòd dicatur Wadingum octo has Collationes Bonaventuræ vindicare: nam vir alioquin doctissimus animi longè falsus est; nullaque sunt prorsùs, quæ hanc in rem profert argumenta; hæc enim tria sunt: imprimis indiculus Mariani; 2°. stilus; 3°. citatio autorum Bonaventuræ ubique familiarium. De indiculo Mariani dictum suprà: quod autem vult ex stilo posse colligi has Collationes esse Bonaventuræ, certè homo est, & humani aliquid patitur. Singulæ enim istæ Collationes, si primam exceperis, quæ tota ad verbum

ex Ubertino ſumpta eſt, & eſt ſtili longè diſſimilis Bonaventuræ, ſunt dumtaxat indigeſta quædam trium aut quatuor è diverſis autoribus ſententiarum vix inter ſe per particulas, *&*, *ac*, *atque*, *ſic*, *nunc*, colligatarum congeries. Ex quibus voculis ac particulis ſtilum autoris alicujus poſſe colligi quis in animum inducat? Denique in eo etiam quòd autores qui in his Collationibus citantur, id eſt Ubertinum, Climacum, & librum de Imitatione Chriſti familiares fuiſſe ait Bonaventuræ, tam longè abeſt à vero quàm qui maximè. Nam ex aliis omnibus operibus Bonaventuræ aut vitâ ejus hos autores ipſi unquam vel leviſſimè cognitos fuiſſe, ne dum familiares fuerint, colligi non poſſe nullus dubito.

*Diſſ. 1. p. ſect. 2.* » Atenim, inquit Delfavius, Ubertinus in prologo Arboris vitæ Crucifixi » innuit ſe ſub Joanne Parmenſi Generali » Minorum miniſtro tirocinium poſuiſ- » ſe, quod ipſum teſtantur Rodulphus » Toſſiniacenſis lib. 3. hiſt. Marcus Uliſi- » ponenſis, Chron. p. 2. c. 22. Lucas Wa- » dingus, & alii: atqui Joannes de Par- » ma præfecturâ dejectus eſt anno 1256.

indeque in carcerem trusus, per continuos 18. annos non erat, opinor, Novitiis per id tempus in ordinem coaptandis idoneus. Ante annum igitur 1256. Sacris Franciscanis à Joanne Parmensi addictum opportuit Ubertinum; nihil proinde vetat quin Sanctus Bonaventura, qui anno 1274. diem suum clausit, aliquid ab Ubertino concionante, seu familiariter colloquente, seu schedas, ut fit, inter ascetas communicante, sibi sublegere potuerit.

Tanta est in his verbis confidentia, ut quibus Delfavius non est planè notus, non pro verissimis illa statim non habeant, cùm tamen sint omnia falsissima.

1°. enim ait, *Ubertinum innuere se sub Joanne Parmensi tirocinium posuisse anno 1256.* En quid innuat de se Ubertinus: scribit in primo suo prologo annum reparatæ salutis 1305. fuisse annum 32. conversionis suæ, quâ Sacris Franciscanis addictus est: *Terminavi*, inquit, *librum istum in mense Septembri anni præsentis 1305. à felicissimo ortu veri solis Jesu, à mea verò vili conversione anno 32.* Igitur, inquam, anno 1273. Religio-

nem ingressus est. Porrò idem Ubertinus ait se à parentibus ad Ordinem Sancti Francisci anno ætatis suæ 14. fuisse deductum : *Spiritus Jesu*, inquit, *ex decimo-quarto anno vitæ meæ ad sacratissimum Ordinem per Seraphicum virum Franciscum institutum mirabiliter me adduxit à patre & matre oblatum*. Innuit igitur natum se esse anno 1259. Quì ergo verum esse potest, quod hîc ait Delfavius, Ubertinum nempè innuere anno 1256. id est tribus annis antequàm natus esset, se sub Joanne Parmensi Sacris Franciscanis addictum esse?

2°. ait, *Wadingum illud idem testari*. En verba hujus autoris ad annum Christi 1299. pag. 712. *Floruit*, inquit, *hoc tempore frater Ubertinus, vir pius & doctus, anno 1305. Trium mensium & septem dierum spatio in monte Alverniæ scripsit pium aliquanto tamen pro illius temporis ratione indigestum, & minimè ad incudem redactum opus, quod inscripsit, Arbor vitæ Crucifixi. In primo prologo operis ait, se anno citato, quo opus complevit, trigesimum-secundum in sodalitio Minorum transegisse ; ex quo conficitur initiatum anno 1273. sub generalatu Sancti Bonaventuræ,*

*eo ipso anno, quo factus est Cardinalis. Natus itaque est anno 1259. nam in principio prologi ait, anno quarto decimo ætatis suæ se Minoribus nomen dedisse. Deinde addictus studiis Philosophicis, magno conatu spiritualibus se applicuit exercitiis, in quibus dum per 14. annos occuparetur, & visitaret Sanctuaria Romana, descendit ad vallem Reatinam, pia illa loca à Sancto Francisco instituta visitaturus. Invisitque pium virum beatum Joannem Parmensem in Tugurio Græcii, multis annis hærentem, à quo se confortatum, absolutum & instructum ad celebrem portiunculæ indulgentiam abiisse adcenset.* Vides quìnam verum est quod ait Delfavius, Wadingum, *testari Ubertinum anno 1256. tirocinium posuisse sub Joanne Parmensi*; cùm contrà probet nonnisi tribus pòst annis ipsum natum esse, id est anno 1259. & nonnisi anno 1273. sub Generalatu Divi Bonaventuræ Sacris Franciscanis initiatum esse. Ac denique nonnisi post 14. annos ab ingressu Religionis Joannem de Parmâ invisisse.

3°. ait *Marcum Ulissiponensem id etiam testari.* En verba Ulisiponensis : *Ubertinus divinæ gratiæ lumine optimè informa-*

*tus, post annos quatuordecim ab ingressu Religionis in quibus sanctis exercitiis delectatus est, piorum hominum consilio* ( Joannis scilicet Parmensis, & Joannis Olivi, quos tunc invisit) *de Christi Vita appellat* Arborem Crucifixi, *librum composuit.* Vides idem testari Marcum Ulisiponensem quod Wadingus. Ait verò aliquando Ulisiponensis *Joannem Parmensem Magistrum fuisse Ubertini*, non quòd ab ipso Sacris Franciscanis initiatus sit: jam enim ab annis quatuordecim ab alio initiatus fuerat; sed propterea quòd cùm ad illum adiit in rupe sua jam ab annis 30. hærentem, id est anno Domini circiter 1285. ab ipso confortatus, absolutus, & instructus est, ut mox vidimus ex Wadingo, & mox ex ipso Ubertino videbimus. Et si Rodulfus Tossiniacensis aliud contendit, errat, nec Ubertini verba satis intellexit.

4°. ait *Joannem Parmensem in carcerem trusum per continuos 18. annos.* Levia sunt hæc, & ad causam nostram vix attinent. Non tamen levia diligentiæ Delfavii argumenta; quod enim de sociis tantùm Parmensis scriptum est, ipsos nempe per 18. annos in carcere detentos

tos esse, attribuit Joanni ipsi de Parma, cui tamen potestas facta est eligendi quem vellet locum: *Elegitque*, inquit Wadingus, *devotissimum Evemitorii Graecii locum, quo sanctè potitus est triginta & plurium annorum curriculo.*

Sed pergit Delfavius, & ad id quod suprà demonstravimus, Ubertinum natum non esse nisi anno 1259. & Sacris Franciscanis initiatum anno dumtaxat 1273. quod cum Wadingo colligebamus, ex eo quòd Ubertinus ipse anno 1305. à conversione sua 32. edidisse se
narrat librum Arboris Vitæ: hoc, in- 1. & 2. diss. 1. p. sect. 2.
quit, ab Ubertino dici ego non infi- «
cior: verùm Ubertino ea narranti op- «
pono Ubertinum testantem se sub Joan- «
ne de Parma meruisse, cùm in prologo «
Arboris Vitæ; *Romana*, inquit, *Sanctua-* «
*ria visitans, & ad Angelum faciei Jesu* «
*verè Sanctissimum Joannem de Parma ad* «
*rupem scilicet Graecii deveniens, lætus, &* «
*ab ipso confortatus, absolutus & instructus* «
*in die indulgentiæ secundæ diei Augusti in-* «
*travi Ecclesiam Beatæ Mariæ de Portiuncu-* «
*la. Sic de novo genitum alumnis fidelibus* «
*Spiritum Jesu tradidit nutriendum.* Atqui «
Joannem de Parma præfecturâ deje- «

„ ctum esse, indeque in carcerem tru-
„ sum, reliquum vitæ privatum egisse, nec
„ Novitiis per id tempus in ordinem
„ coaptandis idoneum fuisse, testantur
„ Minorum Annales. Ante annum igitur
„ 1256. Sacris Franciscanis à Joanne Par-
„ mensi addictum opportuit Ubertinum.
„ Quì igitur coincidit annus conversionis
„ 32. cum anno 1305. Tum exultans ac
gestiens, *Nodum hunc*, inquit, *dissolvant adversarii, ac tam diversa scribentem Ubertinum Ubertino concilient, si conciliando sunt pares*; additque pro singulari suâ
„ in solvendis difficultatibus peritiâ: ac
„ ne controversiam obscurare, aut lites
„ ex lite serere velle videamur, lucem
„ aliquam his tenebris affundamus, sci-
„ licet Ubertinus non de prima sui à sæ-
„ culo conversione loquitur, sed de suâ
„ in meliorem frugem restitutione post
„ decursum Parisiiis Theologiæ studium,
„ *fœdatamque*, ut ipse loquitur, *priorem re-*
„ *formationem*.

Itáne obstinatè adversarium operam dare, ut imponat Lectoribus, & idcircò ipsum non veritum esse reticere quæ huic nodo, si tamen nodus est, solvendo sufficiunt: hæc scilicet verba

Ubertini, quæ antecedunt, *in primis quoque exercitiis sic quasi per 14. annos circa forinseca Jesu me suus spiritus occupabat, nondum me introducens ad altas suæ mentis perfectiones, & inæstimabiles cordis sui dolores, sed tunc Romana Sanctuaria visitans, & ad Joannem de Parma deveniens, &c.* Quis jam nodus restat solvendus? An non apertè dicit Ubertinus se jam ab annis 14. Sacris Franciscanis addictum fuisse, cùm ad Joannem de Parma Romana Sanctuaria visitans venit? Quod & disertè, ut suprà vidimus, testati sunt Wadingus & Marcus Ulisipponensis, ac proinde non ab illo initiatum fuisse anno 1256. cùm ad illum non venerit, nisi anno 1286. hoc etiam disertè innuit verbis quæ consequuntur, & quæ prætermisit Delfavius: *Affuit*, inquit Ubertinus, *cum prædictis Magistris* (quibus traditum se à Joanne Parmensi commemoravit) *Seraphicæ sapientiæ Doctor speculativus frater Joannes Olivi:* Atqui Wadingus testatur Joannem hunc Olivi anno ætatis suæ 12. & Christi 1259. à parentibus oblatum fuisse Sancto Francisco in Conventu Biterrensi. Quì ergo idem potuit esse Do-

ctor Seraphicæ Sapientiæ anno 1256. Quo tamen tempore vult Delfavius ipsi à Joanne Parmensi traditum fuisse Ubertinum. Nodum hunc ipsi solvant, & Ubertinum non Ubertino, neque enim diversa scripsit, sed sibi ipsis qui ab illo tam diversa scribunt concilient, si tamen conciliando pares existunt.

Sed quod addit Delfavius pro suâ peritiâ in solvendis difficultatibus, nempe, *cùm Ubertinus narrat annum 32. conversionis suæ cum anno 1305. coincedere, non de primâ sui à sæculo conversione ipsum loqui, sed de sua in meliorem frugem restitutione, post decursum Parisiis studium.* 1°. Quàm ingentes ingenium ejus patiatur angustias, palàm indicat, quòd talia commenta quibus saltèm videri possit effugisse, adinvenire cogitur: quis enim fando audivit unquam conversionis nomine non suam à sæculo conversionem homines Religiosos vulgò intelligere, sed suam in meliorem frugem restitutionem? Certè Wadingus Ubertinum interpretatur de suâ à sæculo conversione. *Ait*, inquit Ubertinus, *se anno 1305. quo opus suum complevit, trigesimum-secundum in sodalitio Mi-*

*norum transegisse, ex quo conficitur initiatum anno 1273. sub generalatu Sancti Bonaventuræ.*

2°. In idipsum se induit Delfavius, quod timet, & imprudens eò revolvitur, quo minimè vult: nam si Ubertinus non *de prima*, sed *de secunda conversione sua* loquitur, quâ post decursum Parisiis Theologiæ studium à Christo admonitus, mutationem magnam subiit; non ergo anno 1256. & multò minùs *anteà Sacris Franciscanis addictus est.* Quod sic conficitur: narrat enim Ubertinus in prologo Arboris vitæ, hanc immutationem sibi anno 25. ætatis suæ contigisse, id est, annis undecim ab ingressu Religionis; quos annos si ad duos supra triginta, qui ab hac suâ conversione ad annum 1305. intercesserunt addideris, erunt omnes 43. Hos porrò si ab annis 1305. dempseris, erit annus 1262. non ergo anno 1256. & multò minùs *anteà à Joanne Parmensi initiatus est* Ubertinus. Et hunc etiam nodum solvat adversariorum quilibet, si tamen solvendo par est.

Hac cùm non succedat, aliâ tentandum existimat viâ. Nam, ut illæ, in- *a 1. & 2. diss. 1. p. sect. 2.*

„ quit, Collationes non ſint Bonaventu-
„ ræ, certè ſunt hominis Thomæ anti-
„ quioris: nam Marianus Florentinus in-
„ ter opera Sancti Doctoris eas recenſuit,
„ ac deinceps editio Argentinenſis anni
„ 1495.

Sed ſatiſne juſta eſt iſta conſecutio? Id tum quidem rectè ſequeretur, ſi aut Marianus antiquior eſſet Thomâ Kempenſi, aut exemplaribus ipſo Thomâ vetuſtioribus uſus eſſet. Horum autem neutrum ſic ſeſe habet: non primum, nam vel conſentiente Quatremario ſcribebat Marianus Chronica ſua anno 1486. & conſtat ex Marco Uliſipponenſi 3. p. lib. 9. cap. 40. ad annum uſque 1528. id eſt 150. & ampliùs annos poſt natum Kempenſem vixiſſe, quod idem ex Wadingo colligi poteſt. Non etiam ſecundum, neque enim oportuit illa exemplaria antiquiora eſſe iis quibus uſus eſt, ut alphabetum Monachi aſſereret Sancto Doctori: hæc autem certo certius Thomâ non fuere vetuſtiora, cùm conſtet omnium authorum fide opus iſtud Kempenſis eſſe, non Bonaventuræ. Tantumdem eſt quod ex editione Argentinenſi anni 1495. opponit; nam

& Thomâ longe posterior est, & illi opponimus aliam Argentinensem editionem anni 1489. in qua hæ Collationes non habentur.

Tandem in fine hujus paragraphi ait Delfavius, omnibus à se hactenus di- "Ead. sect. 2.
ctis robur accedere ex Doctore Ange- "
lico Sancto Thomâ, qui pleraque ex "
lib. 4. de Imitatione Christi derivavit in "
Officium Sanctissimi Sacramenti: exem- "
plo sit Antiphona quæ præcinitur ad "
Magnificat, *O quàm suavis est*, &c. Sed "
respondeo breviter non Doctor Angelicus à Kempensi, sed Kempensis à Doctore Angelico, immò ne quidem ab illo, sed à divinis & Ecclesiasticis Officiis multa in 4. suum de Sacramento Altaris libellum derivavit. Ex iis enim est ille versus cap. 3. *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio!* qui versus ex benedictione cerei Paschalis desumptus est. Ex iis est illa oratio: *Tua me, Domine, gratia semper præveniat & subsequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum.: per Jesum Christum Filium tuum. Amen.* Lib. 3. cap. 55. quæ ex Dominica 16. post Pentec. sumpta est. Porrò hoc in aliis omnibus operibus suis idem

ſæpiùs factitavit Kempenſis, ut multa ſcilicet in iis ex Eccleſiaſticis Officiis derivaret. Sic lib. de tribus Tabern. cap. 3. hanc eandem etiam quâ de agimus Antiphonam integram habet : *O quàm ſuavis eſt, &c.*

---

## CAPUT II.

*Solvuntur argumenta Delfavii, quibus autores nihilo Thomam juvare contendit.*

ADVERSUM autores illos omnes, quibus in primo capite partis antecedentis utebamur, hæc habet Delfavius quæ reponat.

*1. diſſ. p. 1. ſect. 5.* „ 1°. Autorem ait Anonimum, qui in ſe „ receperat indicem opuſculorum Tho„ mæ contexere, aut fidem non exolviſſe, „ aut libelli de Imitatione non meminiſſe. Immò, inquam, utrumque ab illo egregiè præſtitum. Et fidem enim exolvit ſillabumque operum Kempenſis texuit, quem vir doctiſſimus R. P. Heſſerus Societatis Jeſu ex Monaſterii Rebdorffenſis Canonicorum Regularium tribus pervetuſtis M. SS. Codicibus

erutum in lucem protulit. Et libri de Imitatione Christi in vita Thomæ disertè meminit, quod ejus testimonium suprà exscripsimus. Quì igitur tam confidenter scribit Delfavius, non meminisse libelli de Imitatione Christi? Sed ecce quàm sibi constet, qui enim pagina 71. hæc scribit idem pagina 76. hæc scripsit: *Equidem librum de Imitatione Christi Thomæ asserit iste Anonimus, sed cum superflua & affectata repetitione.* Quì ista simul cohærent? tantumdem ferè est quod scribit, Thomæ vitam ab Anonimo illo concinnatam interpolatam esse, novissima enim, inquit, periodus in editionibus Venetis anni 1568. & 1576. desideratur: utpote nuper abs quodam malæ fidei homine consarcinata: sed an non perfectissimè notum est ab illo jam olim hanc ipsam vitam cum hac novissimâ periodo contineri in editione Norimbergensi anni 1494? Quì igitur nuper & in editionibus 1568. & 1576. dicitur consarcinata?

Ad Buschii testimonium ait, vereri se ut risu excipiat lector tam intempestivam, tam ineptam, tam incompositam, tam ambiguam, tam affectatam, tam Eadem sect.

» falſi ſuſpicione non carentem parenthe-
» ſim illam tam animadvertendam: *Fra-*
» *ter Thomas* de Kempis, vir *probatæ vitæ*
» *(qui plures devotos libros compoſuit, vide-*
» *licet,* Qui ſequitur me, *de Imitatione Chri-*
» *ſti) cum aliis nocte inſecutâ ſomnium vidit*
» *præſagium futurorum.*

Ego verò non vereor, ut riſu excipiat lector tam ineptum judicium ejus. Quid enim illâ parentheſi aptum magis magiſque tempeſtivum, quid minus ambiguum ac clarius, quid minus affectatum & ſimplicius, quid denique magis ſuſpicione carens?

» Sed, inquit, quid huic libro de Imi-
» tatione Chriſti & viſioni? Multùm ſanè. Nempe Thomas teſtis magnæ rei advocatur, revelationis ſcilicet ſibi factæ de morte Joannis de Hueſden Superioris generalis in Windeſem: prudentiſſimè itaque à ſcriptis ſuis commendatur Thomas.

» Sed quid, inquit, cæteras lucubra-
» tiones tacitus præteriit? Unam de qua
» controvertitur dumtaxat recenſet? Nempe quia hæc ſola quæ tam eminet inter cæteras, tamque omnibus nota erat ad fidei & authoritatis Thomæ commen-

dationem sufficiebat. An indicem integrum omnium ejus operum in hac parenthesi vellet recensitum esse? Sed quàm verè tunc intempestivè istud factum esset. Quamquam nec cæteras Kempensis lucubrationes tacitus omnino præteriit, sed eas satis innuit, cùm ait: *Thomas, qui plures libros composuit, videlicet,* Qui sequitur me, *de Imitatione Christi, cum aliis* scilicet opusculis benè multis. Eodem modo Buschius sæpè commendat autores, unum dumtaxat locum ejus profero ex l. 2. c. 40. *In Monasterio,* inquit, *viridis vallis duo fuerunt magna Ecclesiæ Dei lumina, videlicet Joannes Ruisbroch Prior ibidem, qui plures devotissimos libros composuit, videlicet,* Ecce sponsus, de calculo, de gradibus amoris, *& consimiles.*

Lepidum verò omninò illud est, quod hîc vult Delfavius, voces illas *cum aliis,* non de libris intelligendas esse, sed ad visionem referendas, ut sensus sit, *vidit cum aliis.* Cùm tamen & Buschius & Kempensis ipse, uni & soli sibi Thomæ visionem hanc contigisse disertè scribant: *Contigit,* inquit Thomas in Chron. Mont. Sanctæ Agnetis c. 19. *ante paucos*

*dies obitus Joannis de Huesden, ut duo fratres de Monte Sanctæ Agnetis ad colloquendum ei in Windesem venirent, tunc unus illorum eadem nocte tale somnium habuit.*

„ Sed Thomas, inquit, ejus somnii me-
„ minit quidem, at eam de sacro libello
„ narrationem non interserit. Quia scilicet modestissimus, unde & nomen etiam suum reticuit.

„ Non temerè igitur, inquit, affirmare
„ ausim hanc parenthesim aliunde acci-
„ tam. Immò, inquam, nonnisi maximè temerè: nam diu est quod Rosveidus vindiciarum suarum c. 6. vobis hæc respondit: *Ne ulla dubitatio inhæreat quasi vel margini vel textui ea verba postmodùm fuerint apposita, vel inserta: librum Joannis Buschii habeo ipsâ ætate autoris scriptum, in quo nullum marginale, nullum addititium apparet, & plura sunt in Belgio talia exemplaria, quæ ubi opus fuerit testimonium dicent.* Et certè extat de ejusmodi codicibus publicum in Bibliotheca Sangenovefana instrumentum.

„ Addit Delfavius. Sed Franciscus To-
„ lensis disertè profitetur, nulli eorum,
„ qui cum Thoma vitam agitaverunt, cu-
„ ræ fuisse res illius gestas memoriæ pro-

dere. Quasi verò parenthesim illam instituisse sit res omnes gestas Thomæ & vitam ejus memoriæ prodidisse. "

Quin &, inquit, Continuator Montis Sanctæ Agnetis ne verbo quidem tenus id innuit. En verba Continuatoris: *Composuit Thomas varios tractatulos ad ædificationem juvenum in plano & simplici stilo, sed prægrandes in sententia & operis efficacia: fuit etiam multùm amorosus in Passione Domini, & mirè consolativus tribulatis & tentatis.* Quibus verbis clarè innui autorem librorum de Imitatione Christi suprà nos satis demonstravimus. « «

At cedo, inquit, de gradu isto ita licet senserit Buschius, eum ego animi falsum esse contendo. Quibus tandem poterit istud persuadere? ait enim Buschius non scribere se nisi quæ oculatâ fide coràm positus vidit & audivit triginta insuper & ampliùs annis unà cum Thoma familiarissimè convixit; operum omnium quæ scribebat Thomas conscius & particeps fuit. Unde igitur haberi potest eum animi falsum esse? *Potuit*, inquit, *errare*; bellam sanè rationem! Neque verò, inquit, mirandum, si tam turpiter erraverit Buschius, cùm " « « « «

*Eadem sect.*

» doctiſſimus Sirmondus in Obſervatio-
» nibus ad librum ep. Petri Cell. ep. 2.
» ſcripſerit utrumque Cœnobium Sancti
» Criſpini Sueſſionenſis eſſe Benedictinæ
» familiæ, cùm tamen eorum alterum ſit
» Canonicorum Regularium: Hoc quid
ſit? Deus bone, quam non rationis inopiam
patitur, qui talem patitur!

» De Mauburno hæc habet. Equidem,
Eadem ſect. » inquit, Thomæ librum de Imitatione
» Chriſti in Roſeto ſuo affingit: *Frater*
» *Thomas*, inquit, *inter cetera opuſcula quæ*
» *fecit, compoſuit libellum,* Qui ſequitur me,
» *quem falsò quidam Johanni Gerſeni attri-*
» *buunt.* Sed idem in eo incommodum
» eſt quod in Scotto; cùm enim ſcribit,
» *librum de Imitatione Chriſti Joanni Ger-*
» *ſoni tributum fuiſſe*, multò plus officit
» cauſæ Kempenſi quàm faveat. Cæte-
» rùm Mauburnum in Monte Sanctæ
» Agnetis unà cum Thoma Clericum
» egiſſe, non comperio.

Hoc incommodè ſemper accidit Delfavio, ut nullam ferè lineam ſcribat, in qua indiligentia ejus ac negligentia non appareat. 1°. enim nullo Roſeti ſui loco hæc habet Mauburnus, ſed in ſuo de illuſtribus viris ordinis Canonici

libro. 2°. Quod ait, *non comperisse se Mauburnum unà cum Thoma Clericum egisse.* Hinc apertè ostendit, se ne levissimè quidem in operibus Buschii, Thomæ, & Mauburni, de quibus tamen tam liberè loquitur, versatum esse. His enim autoribus Clericum agere non est Canonicum Regularem esse, sed aut in Congregationibus *Devotorum* commorari, aut inter Canonicos Regulares, in eo statu quem *proba* appellabant, & in quo per plures annos remanebant, antequàm scilicet initiarentur, exerceri. Unde Thomas desiit Clericum agere anno 1406. Mauburnus verò, ut scribit Trithemius, anno 1495. adhuc juvenis erat. Non igitur potuit unà cum Thoma Clericum agere anno 1406. sed hac de re mox plura. Voluit dicere, non comperisse se Mauburnum unà cum Thoma Canonicum in Monte Sanctæ Agnetis egisse: id tamen facilè posset demonstrari, si res tanti esset. Hoc unum dico, cùm constet Mauburnum Canonicum Regularem fuisse in Monte Sanctæ Agnetis, & certum sit etiam jam ab anno 1491. multa ipsum edidisse, & Thomas non obierit, nisi anno

1471. probabile eſt admodùm uno ſaltem aut altero anno, unà cum Thóma Mauburnum Canonicum Regularem in Monte Sanctæ Agnetis egiſſe. 3°. An non contra omnem ſenſus communis exiſtimationem eſt illud quod aſſerit; nempe cùm Mauburnus cum Scotto & aliis innumeris viris eruditiſſimis, ait *libros de Imitatione falsò à vulgaribus tribui Gerſoni, cùm conſtet eſſe Thomæ*, iſtud ipſum *multò plus officere quàm proficere Kempenſi.* Quid enim contrà apud omnes eruditos & prudentes magis illi favere poteſt, quàm quod pro ſua cauſa ab omnibus omnium regionum viris doctiſſimis, ipſique Thomæ penè coævis contrariæ & temerariæ vulgarium hominum opinioni reclamatum eſt?

*Eadem ſect.* Ad Scottum reſpondet, non palàm & ex inſtituto, ſed obiter & aliud agentem dixiſſe ipſum in elogio ſuo, *conſtare libros de Imitatione Chriſti, non eſſe Joannis Gerſonis, ſed Thomæ.*

En egregiam reſponſionem. Scottus vir, ut ait Trithemius, doctiſſimus ſimul & elegantiſſimus, hortatu Joannis Keiſerbergii anno 1488. de vita & ſcriptis clariſſimi Joannis Gerſonis elogium inſtituit,

inſtituit, ut illud deinceps omnibus editionibus præfigeretur, in eo diligenter examinat quæ vera, quæ dubia, quæ falſa ſint Gerſonis opera, aitque, *Conſtare libros de Imitatione Christi non ejus eſſe, ſed Thomæ*; & idcircò inter opera hujus Cancellarii à ſe non eſſe edita; & Delfavius hoc appellat, *non palàm & ex inſtituto, ſed obiter & aliud agendo rem dixiſſe.*

Sed nihil ſic juvat, quàm ipſum de Trithemii teſtimoniis diſſerentem audire. Vult itaque Trithemium librum de Imitatione Thomâ antiquiorem agnoviſſe, triaque propterea contendit.

Primum eſt Trithemii ſententiam « maximè ex libro de illuſtribus Germa- « niæ viris petendam eſſe, utpote edito « anno 1495. tertio circiter anno poſt vul- « gatum opus de Scriptoribus Eccleſiaſti- « cis. Sed hîc ſanè, ſicut & in pleriſque « aliis, deſideratur ejus diligentia in perpendendis autorum ſententiis. Nam contrà ubique tum in epiſtolis ſuis, tum in præfationibus, tum denique in ipſis libris, teſtatur Trithemius longè majorem libro ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis habendam eſſe fidem, quàm li- 1. & 2. diſſ. p. 1. ſect. 3.

bris de illustribus Germaniæ viris. Idque tribus de causis; 1°. quia posterior esset aliis; 2°. quia majori ac diuturniori labore & operâ compositus; 3°. quia faciliori & meliori ordine quàm in aliis, novoque scribendi modo, ut ait, processisset. Posteriorem esse significat, cùm in epistolâ ad Wimphelingum scribit se libros de illustribus Germaniæ viris edidisse anno 1491. In Epistola verò ad Joannem de Dalberg Episcopum Wormaciensem, ait se opus de Scriptoribus Ecclesiasticis composuisse anno 1492. immò innuit in fine se illud nonnisi anno 1494. publici juris fecisse; diuturniori verò operâ ac labore opus istud ab eo compositum fuisse declarat, tum in Epistolâ ad Episcopum Wormaciensem, tum in prologo ad Lectorem, cùm ait: *Diu distuli, ne si tam ardua inconsideratè aggredi præsumerem, æmulorum odia ex levitate mea provocarem*; tum denique in fine, cùm ait: *Hunc Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis jam tertiò emendavi, augmentavi, & complevi, per septennium fermè in eo laborans: jam nunc igitur per multos tandem labores operi nostro finem imponamus.* Denique novo ac longè me-

liori in eo ordine uſum fuiſſe quàm quo anteà uſus fuerat in editione librorum de illuſtribus Germaniæ viris prædicat, cùm in prologo ait : *Placuit mihi novo ſcribendi modo procedere, ut lector ipſe notitiam librorum ex principiis faciliùs poſſit invenire*. Unde & in fine hunc ſuum libellum ut fœtum ingenii tot laboribus ac ſudoribus partum, ac tandem perfectum alloquens, *Eia*, inquit, *liber, egredere confidenter; te laudabunt mille, dum vix unus vituperabit*.

Alterum, quod hîc contendit Delfavius, eſt Trithemium fictitio Thomæ antiquiori, qui Gerardo magno Daventrienſi operam dederat, libellum de Imitatione aſſerere. « 2. edit. p. 55. « « « «

Sed in eo non plus eſt diligentiæ quàm in præcedentibus: nam ut omittam, quod nulla eſt jam hæc objectio, cùm ex libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſit potiùs ſumenda Trithemii ſententia, quàm ex libris de illuſtribus Germaniæ viris, in quibus hæc habet. Certè in hoc opere non tàm ſuam quàm aliorum quorumdam Monachorum domus ſuæ referre opinionem luce clarius tum ex eo liquet, quod in

eâ referendâ his omnibus vocibus utitur, *Feruntur duo fuiſſe hujus nominis Thomas. Dicitur, forſitan, putatur, fertur, ferunt;* tum ex eo quod addit, *quamvis ſciam nonnullos in hac re ſentire contrarium;* id eſt Thomam unicum fuiſſe, eumque Gerardo juniorem; quam ſententiam poſteà ſecutus eſt in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: in quo jam non dubitans, aut aliorum opiniones de duplici Thoma curans, affirmatè ſcribit: *Thomas de Kempis ſcripſit de contemptu mundi lib. 4,* Qui ſequitur me.

p. 57. Egregium verò prorſus illud eſt quod „ tertio loco ait, nempe idcircò veniſſe „ in mentem Trithemio ut fictitio Tho- „ mæ antiquiori librum de Imitatione „ tribueret, quòd Trithemius librum „ hunc nomine Thomæ excuſum fuiſſe „ vidiſſet Norimbergæ anno 1494.

Ecce hominis conſtantiam & prudentiam. Suprà aiebat hunc ipſum Thomam ſeniorem eſſe, cujus meminit Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis; huncque librum contendebat editum eſſe anno 1492. (quin & conſtat librum de illuſtribus Germaniæ viris editum anno 1491. Extat enim


etiam nunc talis editio) & tamen modò ſcribit, idcircò Trithemio veniſſe in mentem, ut Thomæ antiquiori librum de Imitatione aſſereret, quia nomini ejus tribui legerat in editione Norimbergenſi anni 1494. id eſt, vult idcircò veniſſe in mentem Trithemio, ut anno 1491. aut 1492. tribueret libros de Imitatione Thomæ, quia legerat anno 1494. hos illi tribui, qui iſta ſecum & cum ſenſu communi conſentiunt?

Sed Trithemium nunquam fortè, aut certè tunc, cùm utrumque ſuum opus ſcriberet, editionem Norimbergenſem vidiſſe, facilè liquet; tum eo quod multa prætermittit opuſcula Thomæ in indice ſuo, quæ in Catalogo Norimbergenſi habentur; cujuſmodi ſunt, liber vitæ Magiſtri Gerardi Groot, liber vitæ Florentii, liber de diſcipulis Florentii, &c. Tum ex eo quod addit, Thomam qui dicebatur junior, varia compoſuiſſe quæ ad manus ſuas non venerant: hæc enim tria opuſcula haud dubiè Thomæ juniori tribuiſſet, ſi indicem Norimbergenſem legiſſet.

Ad reliquos omnes autores, Philippum inquam Bergomenſem, Joannem

Geilerum, Badium ſive RR. PP. Benedictinos Sancti Germani à Pratis Pariſienſibus, Carthuſianos, & Celeſtinos, Conradum, Geſnerum, Joſiam Simlerum, Aubertum Mireum, &c. ait plau-
„ſtra fabularum congeri, eorum maxi-
„mam partem arietem ſuum ſecutam
„eſſe, aut cæco impetu, aut partium ſtu-
„dio ductam.

Sed ſaltem in hoc agmine, in hoc plauſtro Delfavius majores ſuos RR. ſcilicet PP. Benedictinos Sancti Germani à Pratis Pariſienſibus, qui in eo tam eminent, revereretur, ut non omnes pro fabulatoribus haberet; ſaltem conſpectus eorum manum cohiberet, ut non tam facilè ſcriberet, *cæco impetu eos ductos fuiſſe*, *aut partium ſtudio*, cùm ſemel & iterùm anno 1521. & 1523. libros *de Imit. Chr.* pientiſſimi & optimæ memoriæ Thomæ Kempenſis nomine Pariſiis edendos procurarunt.



## CAPUT III.

*Respondetur argumentis quibus contendit vetustiores editiones non favere Thomæ.*

QUÆ toto penè paragrapho suo quarto habet Delfavius, ea prorsus perinfirma sunt & levia, neque satis profectò digna, quibus confutandis diu immoremur. Hoc unum his omnibus repono, verissimum esse, quod à nostris hactenus asseveratum est, vetustissimas nempe librorum de Imitatione Christi editiones, Thomæ favere, non D. Bernardo, non Gersoni Parisiensi Cancellario.

Neque quidquam officit, quod refert ex Rosveido, contrarium ut videtur Vind. cap. 4. ultrò profitente, cùm scribit: *Vetustissimæ quæque editiones librum hunc Joanni Gersoni ascripsere, ita vetus editio Mediolanensis & Veneta utraque anno 1488. & Parisiensis 1496.* Nam vir ille doctissimus non viderat editionem Argentoratensem anni 1487. nomine Thomæ inscriptam per Martinum Flach; multò minus celebrem illam vi-

derat editionem Zintheri anni 1471. aut etiam antè, ut suprà diximus.

Ex quibus etiam duabus editionibus, uti & ex Lugdunensi anni 1489. patet quàm sit illud verum, quod semel & iterùm tam confidenter repetit Delfavius, *Pirkamerum omnium primum libros de Imitatione palàm & ex instituto anno 1494. Thomæ asseruisse.*

---

## CAPUT IV.

*Respondetur argumentis quibus contendit M. SS. Codices suos adversari Thomæ.*

ENIMVERO hoc illud tandem est in quo sese longè, quàm in reliquis gloriosiùs jactant & ostentant adversarii, M. SS. omnes Codices qui tum ab illis tum à nobis proferuntur, prorsùs adversari Thomæ magnificentissimè prædicantes. Verùm omnis isthæc eorum tanta in his codicibus gloriatio an non uti & in cæteris hactenus sit fortasse levissima; primùm in suis, tum in nostris codicibus breviter expendamus?

1. & 2. Dissert. in 1º igitur adversùm Thomam occur-

rit, inquiunt, codex Monasterii Sancti « instrum. & parte 2.
Udalrici anno 1437. Sed hic Codex « sect. 1.
quid officit Kempensi, cùm & nullum nomen præferat, & annis viginti & ampliùs post vulgatos à Thoma libros de Imitatione scriptus sit?

2°. Codex Weingartensis anno 1433. «
Et hic similiter anonimus est, & viginti & ampliùs annis post editos à Thoma libros de Imitatione.

3°. Codex Mellicensis anno 1434. & «
alter 1421. Sed hi etiam anonimi, & «
Thomâ longè posteriores.

4°. Codex Monasterii Sancti Jacobi «
anno 1417. Demus hanc illi ætatem, «
quamquam vel ipse Delfavius ait recentiori manu (fortè recentissimâ) hanc illi assignatam esse: non plus tamen nocet quàm cæteri, etenim & anonimus etiam est, & longè post Thomam.

5°. Codex Salburgensis anno 1463. «
qui hanc inscriptionem præfert, Joan. «
Gers. Sed hic etiam Codex longè post «
Thomam scriptus est, neque Gerseni militat,

6°. Codex Monasterii Sancti Germa- «
ni à Pratis anno 1460. cum hac etiam «
inscriptione, Joannis Gersonis de Imi- «

» tatione lib. 4. Sed hic etiam non plus quàm ſuperior Thomæ nocet, aut Gerſeni favet.

» 7°. Codex Gerardi Montenſis cum » hac inſcriptione: Hic liber conſcriptus » fuit à fratre Ludovico de Monte, qui » obiit ante annum milleſimum quadrin- » genteſimum. Nec vacat; nec, ſi vacaret, prorſus liberet innumeras, quas, occaſione hujus codicis, nugas hîc congerit adverſarius, expendere. Hoc unum dico: fatetur ipſe paginâ 4. eadem omnia novem Opuſcula in hoc codice contineri, quæ in Antuerpienſi habentur. Conſtat autem omnium autorum fide, ea eſſe Thomæ Kempenſis, nec ab illo edita eſſe niſi pluribus annis poſt annum quadringenteſimum. Quì igitur ipſum juvat ſuo & lectorum otio tam intemperanter abuti, ut nugis & puerilibus neſcio quibus artibus quas hîc refert, velit perſuadere codicem hunc ſcriptum eſſe ante annum quadringenteſimum à neſcio quo fratre Ludovico de Monte?

De aliis quinque Codicibus, Padolironenſi inquam, Allatiano, Cavenſi, Aronenſi, & Fluſienſi, qui diſertè fa-

vere Gerſeni, & nomen ejus præferre dicuntur, commodiùs in tertia parte agemus.

---

## CAPUT V.

*Reſpondetur argumentis, quibus contendit M. SS. Codices noſtros adverſari Thomæ.*

CODICES eos qui à nobis proferuntur quod attinet, duos imprimis impugnant adverſarii, Antuerpienſem & Auguſtanum à Mathia Farinatore Carmelitâ Theologo exſcriptum.

In Antuerpienſi duo præcipuè momenta ait Delfavius expendenda eſſe, ſubſcriptionem & ætatem. Illam Thomæ nomen exhibere, hanc annum referre 1441. ambaſque res his verbis concludi: *Finitus & completus anno Domini 1441. per manus fratris Thomæ de Kempis;* neutram tamen autorem deſignare, utramque Thomam repudiare. *1. & 2. Diſſert. in inſtrum. & p. 1. ſect. 1.*

« Atque ut à ſubſcriptione, inquit, ordiamur, ea exſcriptoris teſſera eſt, non autoris. «

Centies jam à noſtris reſponſum eſt

ſcire nos ex hac ſubſcriptione ſolâ non colligi horum librorum Thomam eſſe Autorem, ſed iſtud ſic facilè confici. Cùm enim conſtet reliqua novem Opuſcula, quæ cum his de Imitatione libris in hoc codice continentur, à Thoma ipſo haud dubiè compoſita eſſe: cur de ſolis de Imitatione Chriſti libris dubitabimus? unde ruit quod de Bibliis ac Miſſarum libris addit?

» Verùm quærit, quibus tandem au-
» toribus ea Opuſcula Thomæ aſſeran-
» tur? Reſpondemus, omnibus tum nomenclatoribus, tum editionibus, tum M. SS. codicibus, tum denique vetuſtiſſimis Bibliothecarum catalogis, ut in Sandero, Deſſelio, & aliis videri poteſt.

Jam verò illius Autographi ætatem
» expendens, ait ipſum pro Archetipo
» agnoſci à Thomæ Vindicibus, uti ſom-
» malio, Roſveido, & Canonicis Regu-
» laribus in editione anni 1651. Atqui ſi
» ita res habet, actum eſt, inquit, de
» cauſa Thomæ, ſiquidem præſto nobis
» ſunt codices M. SS. qui annos referunt
» 1421. 1433. de quorum antiquitate
» præſcribimus, vel teſte Heſſero: ergo

ſi anno 1441. primum elucubratum «
opus à Thoma confingunt ejus vindices, «
ſuo ipſorum calamo conficiuntur. «

Vides, Lector, quâ confidentiâ ſcribat Delfavius Thomæ patronos autographum iſtud anni 1441. pro archetipo habere ex hiſmet quos hîc atteſtatur, fidem ejus agnoſce.

Heſerus in dioptra Kempenſi pag. 22. *Autographum*, inquit, *Thomæ quo Antuerpia gloriatur, non eſt Archetipon; quod tamen nobis adverſarii ſubdolè imponunt, eſt extipon tantùm. Denuò deſcriptum à Thoma Kempenſi, & completum anno 1441. à quo multis annis antè, nempe anno 1410. fuit compoſitum.*

Roſveidus cap. 7. *Scripſit quidem*, inquit, *Thomas anno 1441. hoc exemplar, ſed fortè annis aliquot antè compoſuerat, & aliud exemplar ſcripſerat*, hoc etiam tantùm vult Sommalius.

Fronto in argumento à *Devotis* ſumpto, *Exiſtimo*, inquit, *ante annum Domini 1410. ſcriptum fuiſſe hunc libellum à Thoma.* Similiter & Canonici Regulares in editione 1651. cùm aiunt, *Traduit en François du Latin pris ſur le manuſcrit original de 1441. d'Heribert Roſ-*

*veide*, pro autographo quidem habent, ſed non pro archetipo.

Ex his habes egregium fidei Delfavianæ argumentum. Sed vin tu conſtantiæ ejus? habes eodem loco, cùm ſcribit, *equidem ociùs*, inquit, *alia atque alia exemplaria à Thoma edita eſſe aiunt illi vindices Thomæ*; & in ſectione 6. *Heſſerus*, inquit, *libri natalem ad annum 1410. refert*, *alii ad annum 1412. Werilnus non multò poſt emiſſam profeſſionem*. Quì iſta cohærent & conveniunt cum eo quod mox tam aſſeveranter aiebat, Thomæ vindices autographum Antuerpienſe anni 1441. pro Archetipo ſeu omnium primo exemplari habere?

Sed hic inſuper quantum etiam ſibi ipſi & quàm prudenter in ſcribendo moderetur ac temperet, non obſcurè apparet in eo quod ſubdit. Sed demus, » inquit, hanc veniam ut dictum indi- » ctum ſit, factum infactum, verum fal- » ſum, archetipum extipum; non erit » quo impunè abeant (grandia ut vides » nobis minatur) exemplar iſtud non au- » torem refert, ſed exſcriptorem, cùm iis » mendis ſcateat, quæ nemo grammati- » cus admiſerit, in prima ſui operis deſi-

gnatione, ne dum in poſtremâ recogni- «
tione. Poſſem hic ego erratorum miria- «
des attexere. Neque verò ea errata, «
ſunt hominis in recta ſcribendi ratione «
aberrantis, ſed haud planè capientis «
quid ſcriberet. Enim verò ſi hic vera «
prædicat, nihil jam loci eſt ſpei. Occidimus. Neque Codex ille poſthac uſquam eſt, neque nos qui illum autographum aſſerimus. Expecto tamen quid velit, & quid tanto tandem parturiat hiatu, ut patet, inquit, ex eo quod «
habet *ſtips*, pro quo legendum erat «
*ſtirps*; & ex aliis quamplurimis, quibus «
totum opus commaculavit. At huccine «
tandem tot & tam ingentes minæ? Quid eſt, ſi non eſt hoc, *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus?* Quàm vereor, ut hic ipſe Delfavius haud planè capere quid ſcribat à prudentibus & modeſtis meritò exiſtimetur? Qui tales tragedias agit in nugis, & qui propter unius voculæ compendiariam ſcriptionem exclamat & vociferatur, erratorum miriadibus totum opus aliquod commaculatum eſſe. Nihil hic prorſus, nihil inquam erratum eſt, ſed compendiariâ, ut dixi, ſcriptione à Thoma po-

ſitum eſt *ſtips* pro ſtipes non pro *ſtirps*. Quod vel ex Caïetano, & Walgravio, & M. SS. aliis Codicibus facilè potuit Delfavius edoceri, uti & ex Sommalio, qui diu in manibus Codicem hunc Antuerpienſem habuit. Monuitque dudum Thomam pro more ſcilicet ætatis ſuæ tot notis compendiiſque in ſcribendo uſum fuiſſe, ut paucæ in hoc autographo dictiones queant reperiri ab hujuſmodi compendiis liberæ.

Non ſatis itidem prudenter facit, cùm pro erratis inſignibus habet hæc alia.

1°. Tranſpoſitionem libri de Sacramento Altaris, qui cùm jam nobis quartus ſit de Imitatione Chriſti, in hoc Codice tertio loco ponitur. Nam tum ex multis aliis Codicibus qui ab illo proferuntur, tum ex variis editionibus facilè potuit deprehendere, nullo certo, ſed vario admodùm ordine diverſis temporibus libros de Imitatione à Thoma editos eſſe. Et niſi in re jam vulgatâ quidquam immutari diſpliceret, hujus Codicis ordinem tanquam omnium optimum retinendum eſſe, utpote qui ſit poſtremò tandem ab ipſo

autore

autore Thomâ ſcilicet inſtitutus, qui quo liberet ordine potuit libros ſuos diſponere.

2°. Omiſſionem iſtam, nam lib. 1. c. 13. poſt illum verſum, *Principiis obſta, ſerò medicina paratur*, omittitur ſequens ad ſenſum, inquit, omnino neceſſarius, *cùm mala per longas invaluere moras*. Sed nullum etiam hic erratum eſſe, potuit reſcire ex Aronenſi Codice, ex Cavenſi, & ex Padolironenſi, quos tam magnificè prædicat, in quibus tamen hic etiam verſus deſideratur. Immò Caïetanus ipſe & Walgravius in omnibus ſuis editionibus, ut minimè neceſſarium omiſerunt. Adde in pervulgatis iis & jam tritis ſermone proverbiis multa etiam ad ſenſum neceſſaria vulgò prætermitti, unde iſta, *Fortuna fortes*, *nemo pius eſt qui pietatem*, & ſexcenta hujuſmodi apud Tullium.

Atque iſtuc tandem erratorum miriades quibus totum opus Thomæ commaculatum eſſe clamabat, reducuntur. *Sed*, inquit, *ea ſatis confeſſa ſunt*, *vel apud Thomæ patronos*, Roſveidum nempe c. 19. ſed en etiam alterum fidei Delfavianæ argumentum. Nam hoc loci

contrarium prorſus de hoc Codice ſcribit Roſveidus. Hæc enim ſunt ejus verba: *Liber noſter Antuerpienſis tam accuratè ab autore ſcriptus eſt, ut ne litterulâ quidem aberrarit.*

Quod Auguſtanum Codicem à Mathia Farinatore non ignobili Carmelita Theologo exſcriptum attinet, tum in primâ, tum in ſecundâ ſuâ editione ſolitâ & effuſâ loquacitate ſuâ multa, ut
Sect. 3. „ fidem ejus elevaret, effutiit; nempe fa-
„ bulas hac in parte fabulis à nobis ait
„ congeri, magnificiſque verbis magis
„ quàm veris quæ à nobis afferuntur,
„ enarrari.

Verùm ego ſemper magis magiſque miror ſingularem iſtius hominis confidentiam. Quas enim hîc fabulas fabulis à nobis congeri comminiſcitur? An quod aſſerimus tabulas hoc de Codice publicas extare? At à nobis ſi è re ſit poſſunt exhiberi. An quod affirmamus Codicem hunc inter alia opuſcula libros etiam de Imitatione continere, eoſque nomine Thomæ inſcriptos? At utrumque hæ tabulæ teſtantur. An quòd à Mathia Farinatore exſcriptum Codicem dicimus? At pagella quæ ag-

glutinata est asserculo id testificatur. An denique quòd volumus Mathiam Farinatorem anno 1477. vixisse? At istud de seipso refert, cùm scribit se anno 1472. libellum *de Amore librorum* Richardi de Buri Episcopi Dunelmensis, & Soliloquium Hugonis *de discretione & animâ* anno 1477. exscripsisse. Eccui autem de ejus ævo certius quàm ipsi credi potest?

Sed, inquit Delfavius, exscripsisse « Mathiam Farinatorem librum de Imi- « tatione, id quidem verum; inscripsisse « autem Thomæ de Kempis nullus po- « tuit. Atqui inquam utrumque eodem constat testimonio, aut igitur utrumque simul labat, aut utrumque simul, verum est.

Sed Mathias, inquit, Thomam ætate « longè præcessit, erat enim Joanni 22. « ob egregias animi dotes imprimis carus, » & anno circiter 1300. natus; hinc Sim- « lerus ait ipsum floruisse anno 1330. Ite- « rùm repeto: eccui de ætate hujus Theologi certius quàm ipsimet credi potest & debet? Atqui testatur se vixisse & exscripsisse Codicem de quo agitur anno 1477. Quì igitur natus dicitur anno circiter 1300?

contrarium prorſus de hoc Codice ſcribit Roſveidus. Hæc enim ſunt ejus verba: *Liber noſter Antuerpienſis tam accuratè ab autore ſcriptus eſt, ut ne litterulâ quidem aberrarit.*

Quod Auguſtanum Codicem à Mathia Farinatore non ignobili Carmelita Theologo exſcriptum attinet, tum in primâ, tum in ſecundâ ſuâ editione ſolitâ & effuſâ loquacitate ſuâ multa, ut
Sect. 5. „ fidem ejus elevaret, effutiit; nempe fa-
„ bulas hac in parte fabulis à nobis ait
„ congeri, magnificiſque verbis magis
„ quàm veris quæ à nobis afferuntur,
„ enarrari.

Verùm ego ſemper magis magiſque miror ſingularem iſtius hominis confidentiam. Quas enim hîc fabulas fabulis à nobis congeri comminiſcitur? An quod aſſerimus tabulas hoc de Codice publicas extare? At à nobis ſi è re ſit poſſunt exhiberi. An quod affirmamus Codicem hunc inter alia opuſcula libros etiam de Imitatione continere, eoſque nomine Thomæ inſcriptos? At utrumque hæ tabulæ teſtantur. An quòd à Mathia Farinatore exſcriptum Codicem dicimus? At pagella quæ ag-

glutinata est asserculo id testificatur. An denique quòd volumus Mathiam Farinatorem anno 1477. vixisse? At istud de seipso refert, cùm scribit se anno 1472. libellum *de Amore librorum* Richardi de Buri Episcopi Dunelmensis, & Soliloquium Hugonis *de discretione & animâ* anno 1477. exscripsisse. Eccui autem de ejus ævo certius quàm ipsi credi potest?

Sed, inquit Delfavius, exscripsisse « Mathiam Farinatorem librum de Imi- « tatione, id quidem verum; inscripsisse « autem Thomæ de Kempis nullus po- « tuit. Atqui inquam utrumque eodem constat testimonio, aut igitur utrumque simul labat, aut utrumque simul, verum est.

Sed Mathias, inquit, Thomam ætate « longè præcessit, erat enim Joanni 22. « ob egregias animi dotes imprimis carus, » & anno circiter 1300. natus; hinc Sim- « lerus ait ipsum floruisse anno 1330. Ite- « rùm repeto: eccui de ætate hujus Theologi certius quàm ipsimet credi potest & debet? Atqui testatur se vixisse & exscripsisse Codicem de quo agitur anno 1477. Quì igitur natus dicitur anno circiter 1300?


„ „ Sed, inquit, hæc Chronologia con-
„ ſtat ex Poſſevino, qui de Farinatore ſic
„ narrat: *Joannis 22. juſſu digeſſit librum*
„ *moralitatum, quem prænotavit lumen animæ*
„ *fidelis.* Et ex Simlero, qui ſubjungit:
„ *Claruit anno Domini 1330. tomi ſunt duo im-*
„ *preſſi 1477.* Poſſem & iterùm hac conten-
tus eſſe reſponſione. Eccui certius de ævo
Farinatoris, quàm ſibi, poteſt credi?

Sed ecce facilè demonſtratur Simle-
rum hac in re longè animi falſum eſſe:
quod ex eo conſtat, quòd nullus auto-
rum qui ipſum anteceſſêre, quique de
illuſtribus Ordinis Carmelitarum viris
ſcripſêre, cujuſmodi ſunt Trithemius,
qui anno circiter 1493. de iis librum
edidit; Arnoldus Boſtius, qui eodem
anno; Laurentius Burellus qui anno
1494. Geſnerus qui anno 1545. ſcribe-
bant, tale quidquam de Mathia Fari-
natore narraverunt. Similiter nec ullus
Simlero coævorum, quales ſunt Jaco-
bus de plebe, qui anno 1590. Petrus
Lucius qui anno 1593. nec denique eo-
rum ullus qui poſteà ſcripſerunt, ut Lu-
dovicus Jacob noſtrâ ætate cum Simle-
ro hac in Chronologiâ conveniunt.
Nullus, inquam, eorum Farinatorem

anno 1330. floruisse dixit. Nullus sub Joanne 22. vixisse; nullus libri moralitatum autorem eum ausus est asserere; sed contrà solum digessisse omnes ad unum dixere, & plerique anno dumtaxat 1477. ipsum vixisse asseruerunt.

Causa erroris Josiæ Simlero hæc fuit, quòd legisset: *Hunc librum moralitatum à Mathia Farinatore editum anno 1477. jussu Joannis 22. Pontificis maximi, lumen animæ dictum fuisse.* Unde statim opinatus est Mathiam igitur temporibus hujus Pontificis vixisse, & anno 1300. floruisse. Cùm tamen contrarium disertè innuat Farinator in Præfatione suâ. Hæc enim sunt verba ejus: *Liber moralitatum jussu Joannis Pontificis maximi lumen animæ dictus, quem post diutinam occultationem, cùm adhuc informis esset, simplicioribusque rudis & obscurus appareret; frater Mathias Farinatoris de Vienna sacri Ordinis Beatæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ de Monte Carmeli Lectorum Sacræ Theologiæ minimus in titulos, & titulos in paragraphos distinxit; moralitates omnes pariter naturales per binas tabulaturas consignans, & editus est anno 1477.* Quibus profectò verbis perspicuum est, falli, & fal-

lere eos qui putant Mathiam Farinatorem ævo Joannis 21. aut 22. Pontificis Maximi floruiſſe, cùm id dumtaxat intelligendum ſit de primo autore operis anonimo, non de Farinatore, qui tantùm digeſſit illud & edidit, quique cùm in hac ſuâ præfatione dixerit, ſe *poſt diutinam occultationem opus iſtud diſtinxiſſe*, non obſcurè inſinuavit longo ſe tempore, poſt ſæculum autoris illius anonimi & Joannis ipſius 22. cujus juſſu liber ille *Lumen animæ* dictus eſt, vixiſſe. Atque in hanc porrò ſententiam vel ipſe Joſias Simlerus teſtatur ſe magis propendere, cùm tandem in fine ſcribit : *Videtur Mathias Farinator non autor libri eſſe, ſed ſolùm in titulos diſtinxiſſe.* Quod idem refert Poſſevinus, qui propterea non dixit cum Simlero floruiſſe Farinatorem anno 1300. ſed ad Lucium remittit, qui Lucius hac de re nihil etiam certi ſtatuit.



## CAPUT ULTIMUM.

*Solvuntur rationes quibus ait librum ipsum adversum Thomam sese vindicare.*

PRIMÒ, opponit stilum, hominem « Italum non Germanum referre, ut « testantur, inquit, hæ voces, *Grossè, passionatus, bassari, contentari, sentimenta.* «

1. & 2. Edit. 1. p. sect. 6.

Sed ecce tibi easdem omninò voces in aliis operibus Thomæ & Buschii, hominum haud dubiè non Italorum, sed Germanorum. Thomas in Chron. Montis Sanctæ Agnetis c. 4. Grossus *erat cibus.* Idem serm. 5. p. 2. *Homo superbus est* passionatus *intrinsecus.* Buschius lib. 2. c. 26. *Gerardus Delf.* bassus *fuit in seipso, & altus in Deo.* Thomas in vita Gerardi Magni c. 11. *Uno prandio* contentari *consuevit.* Buschius l. 2. c. 27. *Vera devotio non in* sentimentis *dulcedinis consistit.*

2°. Autorem ait librorum de Imitatione l. 3. c. 56. Monachum se profiteri. Thomam verò nusquam se suosque Monachos indigitare; quin è contra « « « «

„ Clericos Regulares à Monachis passim
„ dirimit.

Sed si vel levissimè in operibus Thomæ versatus esset, non tam præceps ejus judicium esset de rebus nullomodo sibi perceptis. Primò enim comperisset sæpissimè Thomam suos appellasse Monachos. Sic opusc. 11. *Monache, ad quid venisti? Quare mundum reliquisti? Cur Cappam istam induisti?* Monachum illum fuisse Canonicum Regularem manifestum fit, vel ex voce illa *Cappam*, hæc enim pars est habitus Canonicorum. Et in serm. ad Novitios suos serm. 40. *Frater Monache*; & tertia parte serm. 1. *O Religiose Monache*. Sexcenta præterea sunt loca alia. Et quid etiam aliud indigitant hæc ejus opuscula, *de vita boni Monachi, Alphabetum Monachorum*, &c. Immò suos quos Buschius in vita Joannis Cele præstantes viros dixerat, cùm scriberet: *Quæ religio in tota regione reformata præstantes viros ex ejus Scolaribus se recepisse non gloriatur? Præsertim* Regulares *Benedictinenses, Carthusienses, Cruciferi, & Cistercienses*, hos Thomas Monachos appellavit: *Quæ Religio*, inquit, *vita vel nomine clara ex scolaribus ejus Mo-*

*nachos non habuit, præcipuè tamen* Regulares *cum Cistercienſibus?* 2°. Comperiſſet equidem Thomam Clericos à Monachis ſæpè dirimere; ſed ſe turpiſſimè errare, qui opinetur ipſum ſe ſuoſque nomine Clericorum intellexiſſe, non verò Monachorum. Cùm contrà potiùs ſe ſuoſque ſæpiſſimè nomine Monachorum & vix ac ne vix quidem nomine Clericorum intelligat: Clerici enim à Canonicis Regularibus æquè ferè ac à Monachis apud Thomam & Buſchium mille locis diſtinguuntur. Etenim apud illos autores *Clerici* ſunt Scolares, & *Clerici Regulares*; ſeu *fratres Clerici* ii ſunt, qui vel in Congregationibus *Devotorum* Daventriæ Zwollis & alibi paſſim à Gerardo magno & Florentio inſtitutis, vivebant, aut in Monaſteriis Canonicorum Regularium plures annos antequàm ſacris Canonicorum initiarentur, agebant; qui ſtatus eorum appellabatur, *Clericatus & proba.* Et profectò ubinam unquam in his autoribus legit: *Talis investitus eſt in Clericum Regularem*, ut indicaretur eum Canonicum Regularem factum? An non è contrà millies occurrit: *Talis Clericus inveſtitus eſt habitum Ca-*

*nonicorum Regularium?* Unde in Chron. Montis Sanctæ Agnetis c. 6. *Clerici qui nondum habitum ordinis assumpserunt, isti fuerun Wicoldus, Joannes Daventriensis, Joannes Kempis*, &c.

„ 3°. Opponit eo sæculo quo editus est „ liber de Imitatione, ordines monasti- „ cos, imprimis verò Cistercienses, exi- „ miâ vitæ sanctitate orbi præfulsisse; cùm „ contrà sæculo decimo quinto quo Tho- „ mas effloruit, vix ulla priscæ institutio- „ nis vestigia in Monasteriis superessent; nec propterea potuisse ipsum scribere, *Attende Carthusienses & Cistercienses & diversæ religionis Manachos & Moniales lib. 1. cap. 25.*

Nescio profectò quibusnam præcipuè scripserit Delfavius, suis dumtaxat an etiam aliis. Sed quibuscumque opus suum destinarit, istud certè in illo hactenus sæpiùs animadverti non posse lectorum suorum facilitate ac fide immoderatiùs quemquam ipso & illiberalius abuti. Quod cùm ex pluribus antehac visum sit; tum verò ex illis quæ hic ait, evidenter apparet. Ecce enim vult anno 1410. sive ineunte sæculo 15. quo florebat Thomas vix ulla priscæ in-

ſtitutionis veſtigia in Monaſteriis Germaniæ inferioris ſuperfuiſſe. Nec propterea potuiſſe ipſum ſcribere, *Attende Carthuſienſes & Ciſtercienſes, & diverſæ Religionis Monachos & Moniales, &c.* Cùm contrà in regionibus iis in quibus agebat Kempenſis, & de quibus tantùm hîc igitur, in ditione nempe ac Diœceſi Trajectenſi nunquam magis eximiâ quàm ineunte hoc ſæculo, ordines Monaſtici, imprimiſque *Carthuſienſes & Ciſtercienſes, ac Monialium domus* vitæ ſanctitate orbi Germanico præfulſerint. Soli quippe Mendicantium ordines defecerant, qui Monachorum nomine non comprehenduntur.

An non enim tunc temporis Trajectenſem Eccleſiam per totos triginta annos ab anno 1394. ad 1423. rexit eximius ille præſul Fredericus de Blankenkem? virtutum ſuarum famâ Apoſtolicis antiſtitibus haud impar: *Fuit enim*, inquit Thomas, *Columna Sacerdotum, Stella Clericorum, Pater Religioſorum, optimaque fuit in diebus ejus diſpoſitio Trajectenſis terræ. Elucebat honeſtas in Prælatis, pietas divini cultus in Presbyteris,* devotio in Religioſis, caſtitas in Virgi-

nibus. *Et sic actis suis mirificis tempora sua decoravit, ut tunc Trajectensis patriæ* aurea sæcula *viderentur.*

An non etiam sub fine sæculi decimi-quarti in eâdem provinciâ Trajectensi Gerardus Grootius, vir sæculorum omnium memoriâ dignus, & ingenti virtutum ac prædicationum suarum famâ ac miraculis *magnus* meritò appellatus extitit, quem, ut ait Buschius, *divina Providentia senescente mundo in extremis penè terræ finibus, velut ingens quoddam lumen cælitus accenderat, quo mentes hominum divinitùs illustraret, & frigescentia corda calore charitatis vehementer inflammaret: prædicationibus enim suis ferventissimis, tanta in his regionibus immutatio facta est, ut in diversis civitatibus, oppidis & villis plures Presbyteri, Clerici, Virgines & viduæ, viri & fœminæ patriæ cælestis amore, parentes, fratres, cognatos, amicos, prædia, possessiones, & omnia quæ in hoc mundo habebant, libentissimè reliquerint, & Domino nostro Jesu Christo pro ipsis egenis egenò facto*, in verâ obedientiâ, castitate & paupertate, *more fratrum & sororum devotarum congregationum in Daventria, perpetuò deservire in*

*Lib. 1. de origine mod. devot. cap. 1.*

*toto corde concupierint.* Et cap. 5. *Vir venerabilis*, inquit, *Deo & hominibus valdè dilectus* Gerardus Magnus, *totam penè Diœcesim Trajectensem partesque circum vicinas ferventissimâ suâ prædicatione & aquâ sapientiæ salutaris verbis & exemplis multis odoribus virtutum irrigavit, illuminavit & accendit: ita ut quamplures in locis diversis Presbyteri, Clerici, Laici, Virgines & Viduæ vestigiis & doctrinæ ejus inhærentes, ad communem vitam & perfectionem conversationis Apostolicæ totis præcordiorum suorum affectibus vehementer aspirarent.*

An non tunc temporis Zwollis sub inclito illo Joanne Cele ab anno circiter 1380. ad 1417. & Daventriæ sub Florentio virtutum ac bonarum artium studia tam egregiè vigebant, ut ex his duabus scholis innumeri viri præstantissimi, egressi, Religiosorum Ordinum Monasteria posthac passim impleverint? Unde Buschius & Thomas in vita Joannis Cele de schola Zwollensi: *Quæ Religio*, inquiunt, *in totâ regione Trajectensi reformatâ vitâ & nomine clarâ viros præstantes &* Monachos *ex ejus scolaribus se recepisse non gloriatur, præsertim* Regulares

Benedictinenses, Carthusienses, Cruciferi, *& Cistercienses, non paucos ex discipulis sui ordinis professores habuêre, qui in virtutum exercitiis & veris scientiis in tantum profecerunt, ut quidam eorum Monasteriorum Abbates, Præpositi, Priores, Ecclesiarumque Rectores postmodum sint effecti. Egregia laus magistri tot laudum præcones, quem vita probata tot* Monachorum *ubique laudat & commendat.* Et de schola Daventriensi, *Ardentissimus Amator Christi Florentius*, inquit Thomas in ejus vitâ cap. 27. *Cui Christus vivere erat, & mori lucrum, desiderans fructum facere in tempore suo, maximam operam dedit, multis prodesse ad æternæ salutis regnum, suadens hunc miserum & caducum spernere mundum. Misit ergo plures personas ad diversa Monasteria. Sacer Ordo* Carthusiensium *nec non* Cisterciensium Sanctique Benedicti *viros habet mihi non ignotos, qui Florentium, cùm Daventriæ frequentarent, videre & audire meruerunt, & me verum dicere comprobabunt. Fueruntque eodem tempore plures devoti Sacerdotes in Diœcesi Trajectensi, qui* Religiosos conventus sive fratrum sive sororum *strenuè gubernare noverant.*

An non denique hac etiam ætate floruerunt multa Tertiariorum Monasteria, & plurimæ Monialium domus? Unde Buschius lib. 1. cap. 2. *Tunc*, inquit, sub fine scilicet sæculi 14. & ineunte sæculo 15. *Omnes per istam Provinciam Trajectensem devotarum sororum Congregationes & in pluribus civitatibus* Sanctimoniales & Regularissarum *Monasteria sanctæ Observationis & fervoris originale sumpserunt exordium, quod usque hodie servant.* Et infrà: *Harum Congregationum utriusque sexus aliquas in tertiam Sancti Francisci Regulam & ordinem vidimus translatas, numerum centenarium excedentes in vera obedientia, humilitate, simplicitate, carentia proprii & continentia, & in Regula Christi charitate fideliter Deo servientes.*

Verùm tunc temporis inter hos omnes Religiosos Ordines præcipuè florebant *Carthusienses & Cistercienses*; unde apud Buschium lib. 1. cap. 5. Gerardum Magnum discipuli interrogant: *An Ordinem Carthusiensium in his partibus reformatum, an Cisterciensem inter cæteros post Carthusienses Religiosiorem deberent assumere?*

Quæ cùm ſint ita, patet quàm ſit falſum quod ait Delfavius ſæculo decimo-quinto ineunte, id eſt anno 1410. quo Thomas effloruit, vix ulla priſcæ inſtitutionis veſtigia in Monaſterijs ſuperfuiſſe, nec potuiſſe Kempenſem ſcribere, *Attende Carthuſienſes & Ciſtercienſes & diverſæ Religionis Monachos ac Moniales.*

Pag. 82. „ . Sed hæc eminus, inquit, rem attinent, nunc, cominùs ut agamus, comparandus eſt ipſe autor cum Thoma Kempenſi : certè quiſquis ille tandem fuerit, qui eximio hoc libello Religionem illuſtravit, homo erat multò ſpiritualium rerum uſu detritus, cui non ſolùm ſpectata inter bonos morum integritas, ſed vel cana ſenectus, aut dignitatis amplitudo autoritatem conciliaverat. Patere ergo ut Thomam quantus quantus fuerit proprio penicillo de-

pag. 84. „ pingamus. Fuit is ſcolaris Daventrienſis, qui ſcribere ac legere utcumque noverat vitæ ſpiritualis adeo rudis, ut niſi poſt exactum toto ſexcennio ob animi levitatem aut tarditatem, quod non obſcurè innuit Badius, tirocinium nuncupandis votis idoneus non fuerit. Et

quia

quia hæc admodum ipſi placent, & iſtis egregiè animus ejus paſcitur: hæc eadem repetens. Quì, inquit, ætatis ſuæ «
anno 30. ut potuerit per ætatem, certè «
non potuit per uſum, non per erudi- «
tionem, non per ingenium, homo rudis «
ſcribendi legendique dumtaxat peritus: «
immò librarius & libellio ita præclarus, «
ut miriades erratorum intexeret in ſuis «
operibus, quæ nemo Grammaticus ad- «
miſerit. Non in rectâ tantùm ſcribendi «
ratione aberrans, ſed haud planè ca- «
piens quid ſcriberet. Qui hac ætate nec- «
dum in ſanctiore militiâ meruerat: niſi «
fortè eum divino numine afflatum com- «
miniſci velint. Sed iſtud inteſtatum «
cùm ſit, nullam fidem apud cordatos ob- «
tinere debet. Nonnulla quidem Opuſ- «
cula reliquo vitæ ſuæ tempore compo- «
ſuit, quæ ſi cum illo comparentur, fri- «
gida, jejuna, atque exanguia videri «
poſſunt. «

Enimverò hoc etiam adverſario ad infelicitatis & imprudentiæ cumulum reſtabat: ut pientiſſimi ac Religioſiſſimi Thomæ Kempenſis memoriam bonorum omnium quotquot hactenus trium penè retrò ſæculorum ævo extiterunt

laudibus celebratam, ipſe primus & unus contumeliis ac probris oneraret. Hic ille nimirum quorumdam hominum, quod ex Auguſtino diſcimus, mos eſt ut à veritate deſerti, ad maledicta & convitia convertantur. Quaſi conviciando facturi eſſent ut haberent cauſam bonam: intereſt ut ſingula diſcutiamus.

1° igitur ait colligi autorem librorum de Imitatione, quiſquis ille tandem fuerit, *canâ ſenectute, aut amplâ Abbatis dignitate venerandum fuiſſe.* Sed certè non immeritò quis addubitare poſſit, an libri de Imitatione unquam ipſi lecti ſint. Nam diſertè autor illorum multis in locis teſtatur, ut ſuprà vidimus 1. parte cap. ultimo, & ſe ſub Prælati dominio conſtitutum, ne dum Abbas eſſet, & juvenem admodum fuiſſe cùm hos libros ſcripſit. Inſtar omnium ſit unus aut alter locus ex his quos ſuprà adduximus. Sic itaque lib. 3. c. 32. ipſum Dominus alloquitur: *Utinam ſic tecum eſſet, & ad hoc perveniſſes, ut tui ipſius amator non eſſes, ſed ad nutum meum purè ſtares, & ejus quem tibi præpoſui patris.* Et cap. 49. *Quia non audes reſiſtere al-*

*tiori potestati sub dominio constitutus, ideò durum tibi videtur ad nutum alterius ambulare.* Denique lib. 4. cap. 5. n. 2. seipsum autor alloquens: *Attende tibi, & vide*, inquit, *cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi: ecce Sacerdos factus es; vide nunc ut fideliter in suo tempore sacrificium offeras; non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ.* Quibus clarè significat se tunc temporis, cùm recèns Sacerdos consecratus esset, quartum hunc suum & ultimum, qui de Sacramento Altaris est & Sacrificio Missæ, librum composuisse.

2°. *Adeo vitæ spiritualis rudem fuisse* ait *Thomam, ut nisi post exactum toto sexcennio tirocinium nuncupandis votis idoneus non fuerit, ob animi levitatem, aut tarditatem, ut non obscurè innuit Badius.* Equidem autorem anonimum, eam fuisse Cœnobii Montis Sanctæ Agnetis consuetudinem existimasse, ut sic, id est per annos sex, Novitii probarentur. Sed huic sententiæ adversari ipsum Thomam in Chronico suo cap. 10.

Immò adeò ipse rudis fuit eorum quæ scripsit; ut haud sciam an quisquam

magis esse possit. Ubinam enim toto sexcennio Novitium egisse Thomam legit? Autores enim omnes, & ipse scilicet Thomas & Continuator & Anonimus unum dumtaxat annum in tirocinio ipsum posuisse testantur. Verum opinatur, cùm ait Anonimus, *tunc temporis fuisse consuetudinis, quod sic probarentur*, intelligendum esse de Novitiatus (ut nunc loquimur) probatione. Cùm ex his quæ addit *antequàm investirentur*, apertè significet de tempore quod investitionem antecedit id intelligendum esse: & reverà tunc temporis id moris fuisse, potuit edoceri exemplis Buschii, Gerlaci, immò & Oetberti, qui cum Thoma investitus est; qui omnes plures annos inter Clericos in Windesem & in Monte Sanctæ Agnetis probati sunt, antequàm inter Canonicos initiarentur. Quod ait de Badio, more suo, doctissimo viro imponit: hæc sunt enim verba Badii de Thoma Kempensi in ejus vita cap. 12. *Acceptis à Florentio litteris optimus adolescens, ad Montis Sanctæ Agnetis Monasterium advolavit. Prior autem lectis litteris ingenti gaudio est intus quidem affectus, quia & puerum noverat, & sciebat*

*neminem à Florentio temerè commendari. At quamvis in omnibus morigerum & ad Religionem aptiſſimum Thomam comperiret, illius tamen profeſſionem ſexcennium diſtulit, ſive quòd tunc cavebant quemquam ad ignotarum rerum vota aſtringere, ſive quòd adoleſcentem volebat per omnia probare.*

3° ait, *ut potuerit per ætatem libros de Imitatione Chriſti anno ætatis 30. componere, non potuiſſe per uſum.* At ſciret jam ab annis quindecim & ampliùs in vitâ ſpirituali tum in domo Florentii, tum in Monte Sanctæ Agnetis egregiè Thomam hac ætate exercitatum fuiſſe; ſciret quòd libro 1. cap. 4. dicitur : *Bona vita facit hominem ſapientem ſecundùm Deum & expertum in multis*, Thomamque noſtrum, ut ab autore vitæ ejus refertur, tantæ morum integritatis & innocentiæ ab adoleſcentiâ ſuâ, tamque eximiæ pietatis & virtutis ſemper fuiſſe, ut proptereà ipſum omnes præcipuè mirarentur; ſciret quod dicitur l. 3. qui eſt *de internâ Chriſti locutione ad animam fidelem* cap. 1. *Beata anima, quæ Dominum in ſe loquentem audit. Beatæ aures, quæ venas divini ſuſurri ſuſcipiunt,*

*& de mundi hujus susurrationibus nihil advertunt. Beatæ planè aures, quæ non vocem foris sonantem, sed intus auscultant veritatem docentem.* Et quod cap. 43. ad discipulum suum ait Dominus : *Ego sum qui doceo hominem scientiam & clariorem intelligentiam ; parvulis tribuo quam ab homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiens erit, & multum in Spiritu proficiet.* Et n. 3. *Ego sum qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis.* Sciret, inquam, hæc omnia, Thomamque nostrum unum præcipuè ex his æternæ veritatis intùs docentis discipulis extitisse : quemadmodum Religiosi omnes Montis Sanctæ Agnetis, qui cum illo diu vixerant, his verbis testati sunt : *Iste bonus pater solitus erat dicere, quando fuit cum conventu, quando sensit inspirationem divinam, quando Sponsus ejus Jesus voluit loqui cum sponsâ animâ ejus, tunc humiliter petiit licentiam dicendo, fratres, oportet me ire ; unus me expectat in cellâ ; & quid tunc loquerentur ad invicem, habemus in tractatu ejus de internâ Christi locutione ad animam fidelem, qui jam liber est tertius de Imita-*

*tione Christi.* Sciret denique multos alios Canonicos Vindeſemenſes Thomæ noſtro coævos & ſuppares, Joannem ſcilicet de Hueſden, Gerlacum, Mauburnum, &c. etiam tum cùm ipſo juniores eſſent, & nondum annorum 30. multo rerum ſpiritualium uſu detritos fuiſſe, & pluribus, iiſque eximiis operibus, Eccleſiam ac Religionem ſimiliter illuſtraſſe.


4°. *Non potuiſſe* ait, *etiam per ingenium, neque per eruditionem;* immò, inquam, his maximè potuit, nam & à Trithemio commendatur Thomas noſter ut *præſtans ingenio, & ſtudioſus & eruditus in ſcripturis;* à Langio *vir Angelicæ doctrinæ appellatur.* Et refert Anonymus illum propterea à Florentio ejuſque fratribus præ cæteris omnibus unicè dilectum fuiſſe, quòd *ingenio & bonarum artium ſtudio* reliquis longè antecelleret.

5° ait, *nonnulla quidem reliquo ſuæ vitæ tempore compoſuiſſe opuſcula; ſed quæ frigida, jejuna, atque exanguia videri poſſint.* At ut plures omittam, non ita videbatur vel ipſi Caïetano, qui in Apologia ſua pag. 118. *Cætera,* ait, *benè mul-*

*ta Thomæ Kempensis opuscula excellentis esse doctrinæ, pietatis eximiæ, summæque notæ.* Qui in App. suo p. 6. Kempensem ait eximiè prædicandum, *ut inter Asceticos principem virum multis nominibus doctissimum & clarissimum.* Non ita denique videbatur trium illorum Christianæ pietatis, ut verbis Badii dicam, & religiosæ observationis ordinum proceribus, RR. nempe PP. Benedictinis Divi Germani à Pratis Parisiensibus, Carthusianis, & Celestinis; qui sæpissimè convenerunt Badium anno 1523. suo quique jure obnixè postulantes, ut pientissimi & optimæ memoriæ Religiosi fratris Thomæ Kempensis opera melliflua, & ad veram Religionem maximè conducentia, prælo suo iterùm divulganda committeret; utpote qui nihil hoc sanctius, nihil religiosius, nihil denique Reipublicæ Christianæ utilius fieri posse existimarent.

Factum itaque ab adversario contra sensum & existimationem bonorum omnium quotquot hactenus extiterunt, cùm ab illo scriptum est, Thomam Kempensem sic proprio penicillo posse depingi: *Scolaris Daventriensis, qui scri-*

*bere ac legere utcumque noverat. Vitæ spiritualis adeo rudis, ut nisi post exactum toto sexcennio ob animi levitatem aut tarditatem tirocinium, nuncupandis votis idoneus non fuerit. Qui anno trigesimo ut potuerit per ætatem libros de Imitatione componere; certè non potuit per usum, non per eruditionem, homo rudis scribendique dumtaxat peritus. Immò librarius & libellio ita præclarus, ut miriades erratorum in suis operibus intexeret, quæ nemo Grammaticus admiserit, neque verò in recta tantum scribendi ratione aberraret, sed haud planè caperet quid scriberet.* Neque quisquam est, opinor, qui non videat hæc Augustini verba ad præfervidi spiritus juvenem quemdam, à quo, cùm eum rationes deficerent, probris & contumeliis oneratus fuerat, à Thoma etiam Kempensi adversùm illum usurpari posse. *Libris tuis apparet te contra libros meos non invenire quid dicas, & quærere calumnias, quas nobis loquaciter & inaniter ingeras. Sed convitiare quantùm potes, quis enim malus hoc non potest?* Aug. contra Iul.





## PARS TERTIA.

JOANNEM GERSENEM de Canabaco librorum de Imitatione Christi non esse autorem.

---

## CAPUT I.

*NULLUM TOTIS QUADRINGENTIS annis testimonium extare Joannem Gersenem de Canabaco in humanis unquam & usquam egisse.*

INVITI admodùm, quod fatendum est, partem hanc operis ultimam aggredimur. Cùm enim demonstrandum suscipimus *Joannem Gesenem*, aut *Gessenem*, vel *Gersenem*, qui enim ipsum nominaret non satis sciebat parens ejus Caïetanus; *oriundum de Canabaco*, vel *de Cavagliâ*, aut *de Gessate*, neque enim unde genus & patriam ipsi assignaret plus sciebat; *Abbatem* denique vel *Sancti Petri in Villulâ Mulegii* ( ita enim pri-

mùm confingebat) vel *Sancti Stephani Vercellensis*, ita namque posteà commentus est: cùm, inquam, demonstrandum suscipimus personatum Abbatem istum non esse librorum de Imitatione Christi autorem; perinde sanè nobis accidit ac si seriò, quæ jocis dumtaxat excipienda sunt, agere juberemur; vel si fabulam refellere, aut demùm adversum larvam aliquam depugnare cogeremur. Quod profectò nonnisi otiosorum, & otio suo intemperanter abutentium, negotium esse posse nemo non novit. Nobis itaque, quibus non licet esse tam otiosis, neque verò si liceat, unquam libeat bonas horas in nugis talibus terere; judicabit lector quàm sit ingratum, & omninò molestum partem hanc operis aggredi. Utcumque tamen consistendum est; & quandoquidem magno apparatu ab adversariis ista de Gersene fabula adornatur, paucis proponendum, quibus viribus choragium ejus omne facilè disturbetur.

Primum adversum istam de Joanne Gersene fabulam argumentum est, neminem unquam prorsùs ante Caïetanum, quem pro fabulatore plerique

omnes ætatis noſtræ viri docti, Naudeus inquam, Leo Allatius, Chiffletius, Petavius, & innumeri alii habuerunt, iſtius Gerſenis de Canabaco meminiſſe. Ut enim omittam Conradum Geſnerum, Joſiam Simlerum, Albertum Mireum, & plures alios, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis indices texuere, in quibus omnibus altiſſimum eſt de Joanne Gerſene ſilentium; eoſque dumtaxat commemorem, quorum imprimis intererat iſtius hominis, ſiquidem unquam & uſquam extitiſſet, mentionem facere.

Certè non Trithemius Abbas Benedictinus, qui de illuſtribus ſanctitate & doctrinâ viris Ordinis Sancti Benedicti quatuor libros inſtituit, ejus uſquam meminit.

Non Arnoldus Wion, & ipſe Monachus Benedictinus Congregationis Caſſinenſis, in ſuo ligno vitæ in quinque libros diviſo, in quibus viri ex Ordine Sancti Benedicti virtute & ſcientiâ illuſtres deſcribuntur.

Non Petrus Calzolaus, ſeu Ricordatus, & ipſe Monachus Benedictinus, qui in Hiſtoriâ ſuâ Monaſticâ in quin-

que dies dispertitâ, de Monachis illustribus Ordinis Sancti Benedicti amplè & copiosè disseruit.

Non Franciscus Augustinus ab Ecclesiis in Catalogo Scriptorum Sabaudiæ & Pedemontanorum, quorum Vercellæ civitas est, in qua civitate volunt Gersenem fuisse Abbatem Sancti Stephani.

Non Ughellus in tomo 4. Italiæ Sacræ, in quo Tomo Vercellenses Episcopos & Abbates, qui doctrinâ & pietate inter reliquos unquam excelluere, diligentissimè recenset; non inquam Joannis Gersenis Abbatis Sancti Stephani in civitate Vercellensi usquam meminit.

Non denique toto illo quatuor sæculorum ævo, ex quo hominem istum Joannem Gersenem extitisse volunt adversarii, autor ullus hactenus aut reperiri potuit, aut inveniri, qui de Joannis istius Gersenis nomine, natalibus, genere, parentibus, & patriâ aliquid testatus sit. Licet abhinc septuaginta annis, nullis in hac causa RR. PP. Benedictini sumptibus pepercerint, nullas propterea provincias non adierint, nullum ex eruditis & antiquitatis peritis viris

quâ prece, quâ pecuniâ ad ſuas partes non ſollicitaverint.

2. Argumentum eſt nullam abhinc ducentis annis, ex quo Ars Typographica adinventa eſt, ad noſtram ætatem & Caetanum uſque editionem nomine Gerſenis evulgatam eſſe.

3. Eſt M. SS. Codices qui in causâ Gerſenis hactenus ab adverſariis exhibiti ſunt falſi non immeritò, quod mox videbimus, ſemper accuſatos eſſe, & ut vitiatos ac corruptos, damnatos eſſe.

4. Denique argumentum inde deſumitur quòd liber ipſe de Imitatione Chriſti Gerſeni iſti, quem & Italum & Abbatem anno 1220. fuiſſe confingunt, æquè penè ac lux meridiana tenebris adverſetur. Cùm 1°. autor ejus tot quibus abundat Flandriciſmis, ut ita dicam, diſertè ſe Flandrum innuat; & 2° teſtetur ſe adoleſcentem admodùm, ac nullâ dignitate ſpectabilem; ſed ſub Præpoſiti dominio adhuc conſtitutum, cùm ſcriberet; & 3° denique nonniſi poſt inſtitutas à Gerardo magno *Devotorum* Congregationes, id eſt anno circiter 1410. ſe libros ſuos edidiſſe ſæpiùs ſignificet.

*Vide 1. part. c. 4. 5. 6. 7.*

Atque his quidem, quæ penè ſatis conſtant ex ſuperioribus, adverſum Gerſenem contenti eſſe poteramus. Sed hîc interpellat nos Delfavius, magnificentiſſimè prædicans, plura & vero ingentia admodùm argumenta & momenta in ſua ſibi causâ ſuppetere : itaque aliquantulum intereſt, ut illa in ſequentibus tribus capitibus breviter expendamus.

---

## CAPUT II.

*Diſcutiuntur argumenta, quæ Joanni Gerſeni extrinſecùs adminiculari dicuntur.*

ARGUMENTA, inquit Delfavius, « quæ Joannem Gerſenem de Canabaco, Abbatem Sancti Stephani Vercellenſis, eſſe autorem librorum de Imitatione Chriſti probant, ea duplicis ſunt generis. Quædam enim ei extrinſecùs adminiculantur, quædam verò ex ipſo libello, ſeu ex viſceribus cauſæ eruuntur. Juvat itaque modò quænam illa ſint, & quanti momenti primi generis argumenta videre, de aliis poſteà dicturi.

„ Ea sunt, inquit, primò Codices in-
„ numeri. 1. est Codex *Sancti Udalrici apud*
„ *Augustam Vindelicorum* anno 1437. 2. Co-
„ dex *Weingartensis* anno 1433. 3. Codex
„ *Mellicensis* anno 1434. 4. Codex alter
„ *Mellicensis* anno 1421. 5. Codex *Leodien-*
„ *sis* anno 1417. Damus omnes illos Codices ætatis ejus esse, quæ hîc assignatur: hoc unum vel ex ipso Delfavio contrà reponimus, illi omnes cùm sint anonimi, addam & Thomæ posteriores, Gerseni non militant.

„ 6. Codex *Salsburgensis* anno 1463. cum
„ hac inscriptione, *Joan. Gers.* 7. Codex
„ Monasterii *Sancti Germani à Pratis* cum
„ hac inscriptione, *Incipit libellus Magistri*
„ *Joannis Gerson.* Sed hi duo Codices ne dum etiam ipsi militent, contra ipsum manifestè pugnant.

Sed quæras quid igitur tot Codices ad rem quâ de agimus prorsus inutiles, simul cum inscriptionibus, ætate, formâ, numero, operculis, membranâ, papiro, autore, loco, patriâ, tanto apparatu, initio, medio, & fine libri sui singillatim à Delfavio recensentur? Quid nisi ut saltem memoriæ lectoris interponendo res superfluas obstreperet,

&

& ingeniis tardioribus ( qualia in hominibus plura sunt ) videretur dicere aliquid, cùm nihil dicat.

Pergit 8. Codex *Gerardi Montensis*, « scilicet, qui etiam anonimus est, & non continet nisi Thomæ Kempensis opuscula. Unde ætatem suam, quâ dicitur ante annum 1400. scriptus, falsi evidenter convincit: unde etiam Gerseni non magis quàm alii superiores militat.

9. Codex *Padolironensis* Achronus « cum hac inscriptione, *Incipit liber Joannis Gersen primus de contemptu mundi.* « Codex *Allatianus* Achronus similiter « hunc titulum præferens, *Tractatus Joannis de Canabaco de Imit. Ch.* Codex *Cavensis* Achronus etiam & anonimus, in « cujus, inquit, prima litera Q. imago Monachi repræsentatur. Huc pertinet Codex continens plura opuscula, inter quæ « est liber de Imitatione impressus Venetiis anno 1501. in cujus fine hæc habentur: *Joannis Gerson Cancellarii Parisiensis* « *de contemptu mundi libri quatuor, unà* « *cum tractatu de meditatione cordis feliciter* « *finiunt*; & mox sequitur manuscripto « charactere, *hunc librum non compilavit* « *Joannes Gerson, sed D. Joannes . . . . .* «

„ *Abbas Vercellensis.* Atque hæc est quadriga aurea triumphatrix, uti Caïetanus aiebat, quâ Joannes Gersen vehitur. Verùm plurimùm doli & fuci in hac quadriga triumphatrice inesse quatuor hæc probant.

Primò, qui primus Codices hos quatuor produxit, est Constantinus Caïetanus, quem, ut antè dixi, docti penè omnes pro fabulatore habuerunt, Naudeus, inquam, Leo Allatius, Lucas Holstenius, Petavius, Chiffletius, Suaresius Vasionensis Antistes, Antonius Gallonius, &c. Extantque eorum hac de re epistolæ & instrumenta publica dudum edita, quæ certè à me dicuntur invito, quamquam non tam hæc ego, quàm causa causæ respondet.

*Parisiis apud Sebast. Cramoisy anno 1652.*

2°. Jam olim Romæ, anno videlicet 1641. coram Eminentissimo Cardinali à Balneis, coram testibus & Notariis à viris eruditione & probitate commendatis, Naudeo scilicet, & aliis, falsi convicti sunt illi Codices.

*Extat hac de re instrumenmentum publicum & sæpiùs Parisiis editum apud Sebastianum Cramoisy anno 1649. & 1652.*

3°. Cùm ab illo anno 1641. quo Romæ hæc acta sunt ad annum 1652. id est per decem circiter annos, inter RR. PP. Benedictinos Sancti Germani &

Naudeum vehementiùs controversia exarsisset : eoque pervenisset, ut ubique à RR. PP. Benedictinis summi flagitii in re litterariâ perpetrati accusaretur Naudeus; ipse verò Naudeus nihil à se contra veritatem in accusandis falsi Codicibus illis, aut dictum, aut factum esse contenderet: quin semel & iterùm, sive apud Prætorem Urbanum, sive in amplissimo Senatu verbis expressis & scripto sæpiùs sponderet, se sufficienti fideijussore interposito, lampadem aut donarium aliquod argenteum quinquaginta pondo, Ecclesiæ Sancti Germani appensurum : quoties manuscripti illi Codices Gerseniani bonâ fide ab illis repræsentati non eodem prorsus modo se habere ab idoneis judicibus deprehenderentur, quo toties ab illo designati erant: cùm, inquam, ita arderet ultrò citróque controversia, & ab amicis, à Canonicis Regularibus, à Senatu, ab omnibus efflagitaretur, producerent tandem RR. PP. Benedictini illos M. SS. Codices, sic litem omnem hoc uno facto dirimi posse; nunquam tamen tunc ausi sunt illos exhibere. Interim verò à quatremario ingentes admodum libri

adverſum Naudeum conſcribebantur, in quibus quod lectu feſtivum eſt, uno in loco vitium in Codicibus agnoſcebat; alibi integros eſſe contendebat. Modò Romæ aſſervari aiebat in Bibliothecâ Anicianâ, modò penes Naudeum detineri aſſerebat. An non nimium eſt, quod ex his ab omnibus intelligitur? Hoc enim unum ab hominibus æqui ac candoris amantibus proponitur. Aut vera erat Naudei relatio de codicibus falſi accuſatis, aut falſa.

Sin vera (cùm veritatem nec ſpatia temporum, nec conatus hominum immutare unquam poſſint) quid eſt quod nunc iterum Naudeo mortuo, & poſt annos viginti producuntur? Quid eſt quod per falſos teſtes innocentiſſimi viri Thomæ de Kempis, de Religione Chriſtianâ tam benè meriti, gloria & laborum fructus palàm attentantur?

Sin autem hæc Naudei relatio falſa fuit, cur toties ab hoc æmulo laceſſiti, à Canonicis Regularibus rogati, à Senatu juſſi, Codices illos proferre nunquam auſi ſunt, & oculis judicum exponere? Ut ſi integri, ſi puri, ſi fraudis & doli erant expertes, nulla ampliùs de il-

lis controverſia moveretur. Naudeus verò de iiſdem M. SS. Codicibus, aut perfunctoriè examinatis, aut malignè damnatis ludibrium ſe debere viris omnibus litteratis ( quod valdè volebat Quatremarius) fateri coactus eſſet, & RR. PP. Benedictinis ſatisfacere cum ſummâ nominis ſui infamiâ, librarumque mille & quingenta rum mulctâ.

An Codices illos tunc ſe Pariſiis habuiſſe pernegabunt, & Romæ fuiſſe obtendent, locorumque ac viarum longinquitatem cauſabuntur? At decennium duravit hæc controverſia, ut Codicum exportationi tempus nimio plus ſuffecerit. An ſumptuum afferent magnitudinem? At ære proprio ſumptibus his omninò facturum ſe ſatis ſcripto etiam ſpondebat Naudeus. Sed ne diutiùs altercemur, Codices hos Pariſiis in Bibliothecâ Sangermana tunc extitiſſe refert Lanoïus, cùm ait præcipuum eorum ſibi tunc temporis (ut mox dicam) amicè oſtenſum eſſe, unde de aliis facilis eſt conjectura.

Non eſt igitur quòd Naudei relationem falſitatis inſimulare poſſimus, cùm tanta adverſariorum tergiverſatio, &

tam diligens M. SS. Codicum occultatio hanc veriſſimam fuiſſe plus nimio probet. Sicque profectò à prudentiſſimis Curiæ Pariſienſis judicibus exiſtimatum eſt, à quibus Pſeudogerſen, cum hac ſuâ aureâ & triumphatrice quadriga limine pulſus eſt, & in medium deinceps ſolenni Edicto prodire prohibitus; ut jam profectò mirum ſit tam contentionum ac litium avidos homines aliquos eſſe, ut quieſcere poſthac non quiverint, ſed adhuc tumultuari, novaſque rixas in re ex ſeſe leviſſimâ ſerere voluerint.

4. Denique ultimum argumentum, quo falſi convincuntur Codices illi, ex eo colligitur, 1°. quòd Codex Mantuanus, ſive Codex Monaſterii Sancti Benedicti de Padolirone, qui in inſtrumento decimus recenſetur, in inſcriptione ſuâ doctiſſimis & illuſtribus examinatoribus omninò ſanus viſus eſt. Sic enim in eo inſtrumento refertur Codex Padolironenſis ita inſcriptus eſt: *Incipit liber Joannis Gerſen, primus de contemptu mundi & de Imitatione Christi*; & in fine Codicis, *Explicit liber quartus Joannis Gerſen de Sacramento Eucharistiæ; in qua inſcri-*

*Unus & idem eſt Codex, ut patet ex Caïetano p. 95.*

*ptione sana est omninò scriptura, & nulla* "
*falsi legitima suspicio apparet, neque in* "
*subscriptione.* Atqui non solùm Romæ "
anno 1641. maxima in inscriptione hujus Codicis falsi suspicio Naudeo apparebat, ut constat instrumento publico hac de re tunc temporis facto: sed etiam Parisiis anno 1652. doctissimo Lanoïo, qui tunc ab adversariis stabat, non omninò sana hæc inscriptio videbatur: sic enim in libro Gallicè tunc temporis ab illo edito paginâ 9ª. candidè refert. *Sur ce sujet, je diray ce que j'ay remarqué dans un manuscrit d'un Livre de l'Imitation, qui est en l'Abbaye de Saint Germain des Prez, & qu'on me dit estre celuy de Mantoûë. Le titre est tel :* Incipit liber Joannis Gersen primus de contemptu mundi & Imitatione Christi. *La fin est telle :* Explicit liber quartus Joannis Gersen de Sacramento Eucharistiæ. *J'ay observé trois choses dans ce titre; la premiére, que ces paroles*, Liber Joannis Gersen primus, *estoient écrites d'un rouge plus reluisant que les autres; la seconde, que la ligne du papier sur laquelle ces paroles*, Incipit liber Joannis Gersen, *sont écrites, est un peu brunie, ce qui s'étend jusques au dessus de*

*la ligne; la troisiéme, que cette tache & souilleûre de papier va bien au dessus du mot de Gersen.* Atque ex hac relatione viri fide dignissimi docemur in bibliothecâ, Sancti Germani à Pratis hos Codices, ut ante dixi, fuisse & latuisse tunc temporis, cùm adeo vehementer eorum exhibitio expostulabatur, ut si legitimi & illibati fuissent, certam Gersenistarum rebus conclamatis victoriam afferre, suum verò dedecus & infamiæ notam auferre primo statim aspectu possent. Docemur etiam veram causam quamobrem sic latuerint, & in publicum pro dire nunquam tunc ausi sint, nempe nondum rubrica eorum & minium satis erant diluta. Propterea dandum illis otium, ut post annos viginti re jam satis maturâ prodirent, & dici posset: *In inscriptione Codicis Padolironensis sana est omnino scriptura, & nulla falsi legitima suspicio apparet.* 2°. Fraus & corruptelâ hujus & aliorum Codicum ex eo colligitur, quòd in fine primi horum M.SS. videlicet Padolironensis, vel ipso Caetano fatente in concertatione suâ, pro Joanne Gersene editâ anno 1618. etiam eâdem manu habebatur Joannis Gerso-

nis Parisiensis Cancellarii Epitaphium sex versibus cum hac insigni corruptelâ comprehensum:

*Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem.*
*Præcelsum meritis* Gersen *cognomine dictum*
*Parisius celsæ Professor Theologiæ*
*Claruit Ecclesiæ qui* Consolarius *anno*
*Milleno Domini centum quater atque viceno*
*Nono, luce petit superos Julii duodenâ.*

Quis enim jam ex hoc vitiato & corrupto Epitaphio Joannis Gersonis, qui Ecclesiæ Parisiensis olim Cancellarius extitit, & obiit 1429. die duodecimâ Julii; quis jam, inquam, non facilè deprehendat, quemadmodum hîc pro Gerson *Gersen*, & pro *Cancellarius* turpi & crassâ corruptelâ *Consolarius* repositum est. Ita reliquos M.SS. omnes Codices in quibus nomen Joannis Gersen jam legitur, haud dubiè similiter vitiatos ac corruptos esse, & olim nomine Joannis Gersonis insignitos fuisse; sed litteram *o* in voce Gerson, corruptoris alicujus manu exiguâque gladioli alicujus operâ, in *e* fuisse immutatam? Unde *Vide Præf.* prorsus *Aronensis* & *Slusiani* Codicis, qui nomen etiam Joannis Gersen præferunt, fides labefactatur.

Nec vacat, nec libet in hujusmodi M. SS. Codicum fraudibus retegendis diutiùs immorari; præstat fortè videre an major sit fides in autoribus qui Joanni Gerseni dicuntur adstipulari.

---

## CAPUT III.

*Discutiuntur reliqua argumenta, quæ extrinsecùs Gerseni de Canabaco favere dicuntur.*

„ ADMINICULANTUR etiam Ger-
„ seni, inquit Delfavius, autores plerique. Enimverò istud efflagitamus, & ab adversariis vehementiùs postulamus, ut vel autorem unum proferant, qui ante Caetanum, hominem istum Joannem Gersenem unquam & usquam in humanis egisse testetur.

„ Franciscus Augustinus ab Ecclesiâ, in-
„ quit Delfavius, in suo Chronico Pede-
„ montano, in Indice Vercellensium Ab-
„ batum, disertis hæc habet verbis: *Joan-*
„ *nes Gersen, qui eruditissimum tractatum de*
„ *Imitatione Christi composuit.* At, inquam, Augustinus ille ab Ecclesiâ totis quadringentis annis distat à Gersene; scri-

bebat enim ætate nostrâ anno 1648. Et volunt Gersenem anno 1220. floruisse, nec ullum eorum quæ narrat vadem profert Franciscus Augustinus. Unde ergo ei licet alioquin clarissimo & doctissimo, fides hac in parte haberi potest? Deinde idem Augustinus in Indice suo *Scriptorum Sabaudiæ & Pedemontanorum*, quem anno 1614. edidit, nusquam meminit Joannis istius Gersenis? scilicet nondum animi deceptus fuerat ex operibus Caëtani. Et certè in eo gravissimè ab illo erratum esse evidentissimè vidit doctissimus Ughellus. Unde, ut suprà diximus, in recensendis claris pietate & doctrinâ Vercellensis civitatis Abbatibus à Francisci Augustini ab Ecclesiis sententiâ (cujus fidem aliàs imprimis sequitur) prorsus discedit, nusquamque Joannis Gersenis meminit. Immò ipsemet Augustinus ab Ecclesiis tandem vidit se in hoc suo Chronico Pedemontano anni 1648. errasse, cùm asseruit Joannem aliquem Gersenem Sancti Stephani Vercellensis anno 1220. Abbatem fuisse, & autorem librorum de Imit. Chr. Unde in ultimâ suâ Vercellensi historiâ quàm anno 1657. edidit,

& in quâ de illustribus pietate & doctrinâ viris fusè admodùm differit, priorem hanc suam de Joanne Gersene narrationem, ut fabulosam omnino præteriit.

„ Augustino ab Ecclesiis adstipulatur, „ inquit, Joannes Baptista Modena in suâ „ historiâ Vercellensi. At etiam ætate nostrâ is vixit. Quid igitur certi & indubitati sine gravi & antiquo fidei aliquo jussore de Gersené, à quo totis quadringentis annis distat, testari potest? deinde ubinam extat talis historia Vercel- „ lensis? M. SS. inquit, Codicibus conti- „ netur. Nempe quia domi facilè nascuntur; semper præsto adsunt adversario „ nostro M. SS. Codices aliqui, qui quidvis testentur. 3°. Denique constat instrumento publico testimonium hoc Joannis Baptistæ Modenæ Parisiis anno 1649. confictum esse.

*Editum est illud instrumentum Parisiis apud Sebast. Cramoisy anno 1652. & extat in Bibliotheca Sangenovefanæ.*

„ His accedit, inquit, Ferdinandus „ Ughellus in suâ Italiâ Sacrâ. At, inquam, etiam ætate nostrâ is vixit. Scribebat enim Ughellus anno 1652. deinde istud ejus testimonium eâ fide profertur, quâ multa alia hactenus adducta sunt, id est nullâ. Unde Gersenis & Gersenistarum causa prorsus labefactatur. Elegantissi-

mè enim Tertullianus : *Quidni falsum, cujus testimonium quoque ex falso est? quomodo credam non mentiri eum, qui mentitur ut credam?* L. de anima.

Sequuntur, inquit, inclito agmine « Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, « Antonius Possevinus, Rossiniolius, Maio- « lus, Clarissimus Michaël Marillacius « Franciæ Procancellarius. En quid scri- « psit Bellarminus ætate nostrâ, & anno 1613. *Communiter opus de Imitatione adscribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio: sed valdè probabile est, autorem illius Opusculi, esse Joannem quemdam Abbatem de Gersen, sive de Gessen, ut habet inscriptio in codice M. SS. qui asservatur in Monasterio Aronensi, quod olim fuit Monachorum Sancti Benedicti, & nunc est domus Novitiorum Societatis Jesu.* En etiam quid Possevinus scripsit anno 1606. *Etsi nos secuti communem opinionem libros de Imitatione Christi Thomæ de Kempis tribuimus; facere tamen haud possumus quin huc adjiciamus quæ à Bernardino Rossiniolio Societatis nostræ Theologo accepimus. Sic enim ille refert. Joannes Abbas de Gessen vel de Gersen scripsit aureum illum de contemptu mundi libellum. Ita habetur in exemplari M. SS.*

*quod in Monasterio Aronensi, quæ nunc est domus Probationis Societatis Jesu, ex vetustâ Bibliothecâ reliquum. Ex quo etiam intelligitur hunc Abbatem fuisse Sancti Benedicti Monachum, cujus extitit Monasterium.* Vides, Lector, Bellarminum, Possevinum, & Rossiniolium, idcircò tantùm recessisse à communi illâ opinione, quâ libri de Imitatione Thomæ tribuebantur, eosdemque libros propterea ascripsisse Joanni Gerseni sive Gesseni Abbati Benedictino, quòd existimaverint codicem illum Aronensem relictum fuisse ex antiquâ Bibliothecâ Patrum Benedictinorum, quorum olim fuerat domus illa Aronensis, antequàm ad R R. P P. Societatis Jesu pertineret. Unde si labat hoc fundamentum, profectò & id quod superstructum est concidat necesse est. Audiamus itaque Maiolum : siquidem ad ejus testimonium provocant adversarii. *Ego Andreas Maiolus Presbyter Societatis Jesu, testificor me anno 1579. cùm Genuâ proficiscerer Aronam, ad domum Probationis Societatis Jesu, ut in eam admitterer, detulisse mecum codicem M.SS. de Imitatione Christi, sub nomine Joannis Abbatis de Gessen sive Gersen, quem in domo pater-*

*na reperi : nec ſcio unde venerit, eumque reliqui Aronæ in eadem domo, ubi conſervatus eſt multos annos, & inde accepit nomen Aronenſis codicis à P. Roſsignolio & aliis qui legerunt Aronæ; & ignorantes, quòd ego illum attulerim, exiſtimarunt ibidem ab antiquis Monachis, qui illud Monaſterium inhabitarunt, eſſe relictum; in quorum fidem hoc teſtimonium meâ manu ſubſcripſi. Cremonæ die 28. Jan. 1617.* Vides hoc Maioli teſtimonio, quod admittit Delfavius, quid de Bellarmini, Poſſevini, & Roſſignolii opinationibus ſit ſentiendum. Porrò in hoc codice lib. de Imitat. modò Gerſenis modò Geſſenis nomine inſcribuntur, propterea quod ex alio codice nomine Gerſonis inſignito exſcriptus eſt ab Amanuenſi quodam haud planè capiente quid ſcriberet, ut ſatis innuit ipſe Caetanus in longo illo indice errorum qui in Aronenſi codice reperiuntur; quem indicem Romæ anno 1644. edidit. Clariſſimus etiam Marillacius in libello ſuo Gallicè edito de autore librorum de Imitatione ait ſe ejuſdem Aronenſis codicis autoritate permotum ad partes Gerſenis aliquomodo inclinaſſe, ſed tamen mox addit : *Je ne donne pas*

*néanmoins entiérement ma créance à Gerſen, parce que je le vois ſi peu aſsiſté des autres circonſtances, que je ne puis pas encore luy attribuër le livre de l'Imitation de Jeſus-Chriſt : ſi bien qu'à mon avis ce livre n'a point juſques icy d'Auteur plus aſsûré que le Saint Eſprit.* Sed ad id redeo, quod capitis hujus initio dixi, etiam atque etiam rogamus adverſarios, ut vel autorem unum proferant, qui ante Caetanum & ætatem noſtram quidquam de iſto ſuo Gerſene toto illo quadringentorum annorum ſpatio quod inter nos & illum intercedit, unquam & uſquam ſcripſerit. Quamdiu enim ab illis hoc non erit præſtitum, tamdiu à nobis hæc eorum de Gerſene Canabacano narratio pro fabulâ habebitur.

„ Sed pergit Delfavius, quantò obſcu-
„ rius ab antiquis eſt nomen Gerſenis,
„ tantò illius cauſa eſt potior. Mirum ſa-
„ nè! Quis enim, inquit, Facundum, quis
„ Agobardum, quis denique Guibertum
„ noverat ante eorum libros hoc tempo-
„ re editos? Sed quid hic? aut eſtne prudens, qui tam ſecum pugnantia & contraria adinvicem confert? Nam Guibertum quod attinet, ex Clariſſimo viro

Luca

Luca Dacherio coaſceta ſuo potuit facilè reſcire, an ipſius nemo ante libros ſuos hoc tempore editos meminiſſet. Et de Agobardo quot extarent veterum elogia, potuit ab erudito Stephano Baluſio, & Papirio Maſſono, qui Archiepiſcopi hujus Lugdunenſis opera ediderunt, edoceri. Denique de Facundo quæ & quot antiquiſſimorum autorum eſſent teſtimonia, potuit videre in editione illâ quam doctiſſimæ Societatis lumen illud ingens, Eccleſiæque Gallicanæ decus & ornamentum Jacobus Sirmondus adornavit, ut profectò hic omnino deſideretur Delfavii prudentia, fictitium Gerſenem ſuum, omnibus retrò ſæculis incognitum, cum Guiberto, Agobardo, & Facundo, viris multorum veterum autorum ſermonibus & laude celebratiſſimis comparantis.

---

## CAPUT ULTIMUM.

*Diſcutiuntur argumenta quæ ex ipſo libello erui, & Joanni Gerſeni favere dicuntur.*

ARGUMENTA, inquit Delfavius, " quæ ex ipſo libello eruuntur, ea "

» ſunt ut minimùm tria, autoris videlicet
» antiquitas, vitæ inſtitutum, & dignitas,
» quæ omnia in Gerſenem ad amuſſim
» quadrant.

» Ætas imprimis: nam autor ipſe in-
» nuere videtur, ſe non multò poſt obi-
» tum Sancti Franciſci, qui anno 1226. in
» cælum migravit, & anno 1228. in San-
» ctorum album relatus eſt, huic de Imi-
» tatione Chriſti ſcriptioni animum adje-
» ciſſe; nam beatum Franciſcum velut
» in vivis agentem appellat his verbis de
» præſenti: *Quantum unuſquiſque eſt in ocu-*
» *lis tuis, tantum eſt & non amplius*, dicit
humilis Sanctus Franciſcus. Quando iſta diceret, & ſic ratiocinaretur Delfavius, niſi non habendo quæ diceret? Nam ſi iſta ejus conſecutio valet, igitur, inquam, autor de Imitatione, ſcriptioni ſuæ animum adjecit adhuc in vivis agente Chriſto Domino; ipſum enim, ut verbis ejus dicam, velut in vivis agentem appellat, his etiam de præſenti verbis: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*, dicit Dominus.

Porrò de hac alia temporis circunſtantiâ quâ vult ætate Thomæ Religioſos Ordines, atque imprimis Ciſtercien-

ſes, à fervore primo longè deflexiſſe; *Cùm contra*, inquit, *temporibus Gerſenis, ſeu anno 1220. aut 1230. florerent*, ſatis ſuprà dictum eſt. 2. p. cap. ult.

Quod deinde attinet, inquit, ad vitæ inſtitutum, autor Monachum ſe indigitat. Demus hoc. Sed quid iſtud Gerſenem juvat? An uſquam autor ſe Monachum Benedictinum indigitat? An non ſuprà demonſtratum eſt nomen iſtud à Thoma Kempenſi non eſſe alienum, ſeque, ſuoſque hoc nomine ſæpiùs appellare? Unum ex tot præcedentibus teſtimonium hîc referam. *Quæ Religio*, inquit, *vita vel nomine clara Monachos præſtantes non habuit, præcipuè tamen* Regulares *cum Benedictinis, Cruciferis, & Ciſtercienſibus?* unde & à Pirkamero hoc nomine appellatur. *Fuit reverà*, inquit, *Thomas de Kempis Profeſſus Monachus fratrum Ordinis Canonicorum Regularium, vir Sanctitate & doctrinâ eximius.* In Chron. ſuo cap. 21.

Abbatem denique & canâ ſenectute ſpectabilem fuiſſe conjicere eſt, inquit, ex variis formulis, quas nonniſi è ſuperiore loco proferre queat vir modeſtiſſimus. Immò, inquam, autor pror-

ſus contrarium ſæpius ſignificat; nam & ſuprà à nobis evidenter oſtenſum eſt, ipſum diſertè innuere ſe quartum & ultimum de Sacramento Altaris libellum ſtatimatque Sacerdos conſecratus eſt, ſcripſiſſe. Sic enim de ſeipſo loquens cap. 5. *Attende tibi*, inquit, *& vide cujus miniſterium tibi traditum eſt per impoſitionem manus Epiſcopi; ecce Sacerdos factus es, & ad celebrandum conſecratus; vide nunc ut fideliter & devotè in ſuo tempore Deo Sacrificium offeras, & teipſum irreprehenſibilem exhibeas. Non alleviaſti onus tuum, ſed arctiori jam alligatus es vinculo diſciplinæ & ad majorem teneris perfectionem ſanctitatis.*

Et in l. 3. ſæpiùs evidenter ſignificat ſe adoleſcentem, & ſub Præpoſiti dominio, ut loquitur, ac poteſtate conſtitutum, & inter adoleſcentiores Religioſos ad virtutem adhuc ſolitum informari & exerceri, cùm librum hunc componeret, nedum canâ ſenectute, & amplâ Abbatis dignitate ſpectabilis tunc eſſet: ſic enim de ſeipſo loquens c. 24. *Quid te implicas*, inquit? *non indiges reſpondere pro aliis, ſed pro teipſo rationem reddes.* Et c. 13. *Quia adhuc nimis inordinatè te diligis, ideò plenè*

*te resignare aliorum voluntati trepidas.* Et cap. 32. Deus in ipso inordinatum hunc amorem arguens, *Utinam*, inquit, *sic tecum esset, & ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum purè stares, & ejus quem tibi præposui patris.* Et cap. 49. per totum, & in primis num. 5. *Quia non audes resistere altiori potestati sub dominio constitutus, ideo tibi durum videtur ad nutum alterius ambulare.* Et cap. 52. istud etiam disertissimè innuit, cùm ait: *Domine, ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum, & ad emendationem pigrum fuisse. Verum est, negare non possum: in veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio & contemptu, nec decet me inter Devotos*, (sic Canonicos Windesemenses & Montis Sanctæ Agnetis appellari solitos suprà ostendimus) *commorari. Et licet hoc ægrè audiam*, (à Præpositis nempe suis istud ipsum illi virtutis in piissimo adolescente exercendæ causâ sæpiùs exprobrantibus) *tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam, ut faciliùs misericordiam tuam merear impetrare.* An hæc omnia in virum amplâ quâdam Abbatis dignitate conspicuum, & canâ senectute

ſpectabilem valdè & venerandum ad amuſſim quadrant?

„ At, inquit Delfavius Hi, Thomæ „ Kempenſis nomini atque modeſtiæ pa- „ rum conſulunt, qui rudem adhuc tiro- „ nem talia locutum eſſe confingunt l. 1. „ c. 22. *Benè opus eſſet quod adhuc iterum inſtitueremur, tanquam boni novitii ad mores optimos, ſi fortè ſpes eſſet de futurâ* „ *emendatione.* Hui! tam citò non ego „ eam contumeliam Thomæ inferam, ut „ eum à primævo fervore ſtatim receſſiſſe putem. Atqui, inquam, eodemmet loco, & in verbis hæc antecedentibus diſertè tradit, non diu eſſe quòd vitam Religioſam profeſſus eſſet, cùm hæc excitandi ſui causâ ſcriberet; ſic enim habet: *Quid fiet de nobis in fine, qui te deſcimus* tam mane? *Væ nobis, ſi ſic volumus declinare ad quietem quaſi jam pax ſit & ſecuritas, cùm nec dum appareat veſtigium veræ ſanctitatis in converſatione noſtrâ. Benè opus eſſet, quod adhuc iterum inſtitueremur tanquam boni novitii,* &c.

Atque ex his omnibus ſatis ſuperque palàm oculis omnium oſtenditur, multa ab adverſariis in propugnandâ Gerſenis de Canabaco fabulâ, ſcripta eſſe,

quæ si saltem nobis admonentibus considerare non negligant, etiam sibi ipsi interdum quantumlibet sint in suâ sententiâ obfirmati, erubescent. Neque, opinor, deinceps errores Caïetani, qui in hac quâ de agimus causâ multùm homo fuit, & humani plurimùm passus est, præstare in se recipient; sed eligent majorum suorum, RR. scilicet PP. Benedictinorum Sancti Germani à Pratis Parisiensibus, exemplum sequi; qui olim non semel dumtaxat, anno nempe 1521. sed & iterum anno 1523. unà cum RR. PP. Carthusianis & Celestinis libros de Imitatione Christi nomine Thomæ Kempensis Parisiis edendos procurarunt. Quod demum facere si perfractè renuent, patiantur saltem de eâ re quæ nos multùm non molestat, ulteriùs non certare. Inter illos & nos hoc quod caput est omnino convenit libelli hujus *Autorem*, ut clarissimus Franciæ Procancellarius Marillacius aiebat, *primum ac præcipuum esse Spiritum Sanctum*, *quod scire sufficit, etsi alius autor ejus ignoretur.* Est enim hoc à Gregorio Magno scriptum sapienter: *Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba,*

*Extant etiamnum hujusmodi editiones.*

*In libello suo de autore lib. Imit. Chr.*

Præf. in exp. beati Iob. *eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus; ridiculum profectò esset, si non epistolarum sensum cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cùm ergo rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum Sanctum autorem tenemus; cùm scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur?* Quod facere ab autore etiam nostro prohibemur: Lib. 1. cap. 5. *Non quæras*, inquit, *quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende.*

FINIS.